



Danskernes Historie Online

Danske Slægtsforskeres Bibliotek

Dette værk er downloadet fra Danskernes Historie Online

Danskernes Historie Online er Danmarks største digitaliseringsprojekt af litteratur inden for emner som personalhistorie, lokalhistorie og slægtsforskning. Biblioteket hører under den almennyttige forening Danske Slægtsforskere. Vi bevarer vores fælles kulturarv, digitaliserer den og stiller den til rådighed for alle interesserede.

Støt Danskernes Historie Online - Bliv sponsor

Som sponsor i biblioteket opnår du en række fordele. Læs mere om fordele og sponsorat her: <https://slaegtsbibliotek.dk/sponsorat>

Ophavsret

Biblioteket indeholder værker både med og uden ophavsret. For værker, som er omfattet af ophavsret, må PDF-filen kun benyttes til personligt brug.

Links

Slægtsforskeres Bibliotek: <https://slaegtsbibliotek.dk>

Danske Slægtsforskere: <https://slaegt.dk>

Indbydelseskrift

til


den offentlige Examen

i

Metropolitanskolen

i Juli 1851.

1. De excerptis et fragmentis aliquot Appiani commentatio critica et historica, ad rationem, quæ ei cum Dionysio Halicarnassensi intercedit, explicandam præcipue accommodata, quam scripsit *J. C. Espersen.*
2. Skolefsterretninger af Rector, Prof. B. Borgen.



Kjøbenhavn.

Trykt i det Schultziske Officin.

I.

**De excerptis et fragmentis aliquot Ap-
piani commentatio critica et historica,
ad rationem, quæ ei cum Dionysio
Halicarnassensi intercedit, explicandam
præcipue accommodata.**

An te hos decem annos operam in Appiani historia recensenda ita ponebam, ut ad illud quoque quærendum, quos in hac vel illa operis parte fontes adisset, animum acriter intenderem, quum me publico munere ornatum hoc supersedere studio quæstionemque ad finem nondum perductam in longius tempus differre alia negotia coegerunt. Ubi priorum librorum excerpta et fragmenta primum perlegi, tantam Appiano cum Dionysio Haliarnassensi similitudinem intercedere statim animadverti, ut mirarer sane, quod nulli viri docti, quos de Appiano aliquid scirem scripsisse, ullam ejus rei mentionem fecissent. Fugerat me, Niebuhrium in altera et tertia operis sui parte eam rem breviter uno et altero loco attigisse, ubi Dionysium, exclusis aliis, ducem Appiano in antiquioris temporis historia fuisse contendit, quam sententiam in reliquo opere aliquot demum annis post edito eadem fere ratione repetiit. Schweighæuserum autem, qui singulare quoddam plagii crimen Appiano oblatum prospero successu diluisset, alia omnia de eo statuere videbam. Quanquam de furto ab Appiano facto jam suspicari coeperam, non prius tamen, quam universum ejus opus accurate perlegissem, de ea re inquirere decrevi. Quod ubi feci, hoc primum mihi apparuit, Schweighæuserum, qui in una aliqua re recte vidisset, de aliis pluribus, quæ ad Appianum pertinerent, mirum in modum falso judicasse, quippe qui præjudicata opinione impeditus, omni opera in Appiano adversus obtrectatores defendendo collocata, proventus eo esset, ut illum in iis etiam rebus, ubi perversitatis crimine se absolvi non sineret, prorsus ad libidinem vel argumentis temerariis omni culpa liberare studeret. Deinde, quum accuratam Appiani cum Dionysio comparisonem instituisssem, omnibus undique circumspectis, quæ ad rem pro certo dijudicandam valerent, omnem fere illam Appiani historiæ partem, quæ in rebus ante Punica bella gestis versatur, non profecto esse nisi ex Dionysii opere mira arte excerptam, omnino

manifestum factum mihi est. Quanquam aliquatenus rei inventæ laus cum Niebuhrio est participanda, non piget tamen multum in hac quæstione operæ collocasse, quum præsertim nullo ille exemplo allato suum iudicium confirmaverit, deinde huic compilationi nimis multum tribuerit, qua fretus eodem jure, quo si ipsum Dionysium ad manum habuisset, res ad illum auctorem referre non dubitavit, quas Appianum ex alio fonte hausisse veri admodum simile est. Huc accedit, quod Niebuhrius de aliis rerum Romanarum scriptoribus parum recte iudicavit, argumentis usus, quibus contraria potius demonstrari possent. Quibus rationibus adductus, quum singularis occasio oblata mihi esset, maximam meæ collationis partem in publicum emisi, additis præterea pluribus, vel quæ ad universum Appiani genus scribendi illustrandum aliquid conferrent, vel quæ ad singulos ejus aliorumque scriptorum locos et sententias explicandas pertinerent. Fui fortasse in hac vel illa re copiosior, quam debui; neque tamen, si hic illic minuta vestigia persequor, hoc ideo factum est, quod ipsarum rerum argumento multa tribuerem, sed quod plenam Alexandrini scriptoris imaginem ante oculos proponi volui.

Scrib. Haun, Non. Jul. a. MDCCCLI.

Dionysium Halicarnassensem Appianus nusquam ille quidem in iis, quæ supersunt, scriptis nomine laudavit¹⁾, sed in omnibus fere rebus, quæ Punica bella antecedunt, perpetuo tamen eum ad manum habuisse atque ad compilatoris instar maximam partem exscripsisse iudicandus certe est. Ab eo Nostrum in rebus gestis narrandis, in publicorum institutorum notionibus comprehendendis vel obscurandis²⁾, in populorum terrarumque habitu describendo³⁾, in aliis totum fere pependisse, commentatione

¹⁾ Quin ex industria videtur tacere, qui meræ compilationis sibi conscius quavis potius arte furtum plerumque studuerit oculere. Locus erat Dionysii laudandi in præfatione (c. 12), ubi superiore ætate silentio prætermissa, illud temporis spatium indicavit, ex quo demum parum commoda narrandi ratione distractum, qua scriptores vulgo usi essent, dispersas rerum partes in unum se congesse prædicat.

²⁾ Vid. infr. not. de vv. *δημος* et *βουλή*, *ισοπολιτεία* et *πολιτεία* (Ital. I, V, 1). Ceterum ad ea rarius animum attendit, ut qui res potius bello gestas scribendas sumpserit.

³⁾ Apud Dionysium (XIV, 1, 2) terra Celtica, ut exemplum afferam, in duas partes Rheno flumine divisa est, quarum altera Germania, altera Gallia appellatur, neque aliter Appianum tradidisse e Suidæ testimonio (v. *Ἀππιανος*), ex præfat. Nostr. ec. 3, 4, al. patet.

de locis inter se comparatis, quæ infra subsequitur, plane probatum iri arbitramur. Nonnunquam tamen et quidem maxime in antiquiorum temporum historia, fabularum fundamento innixa propterque eam causam suo consilio aliena⁴⁾, alium præter Dionysium consuluit scriptorem, quem oculis facilius posset perlustrare atque uno et altero ex copiosa Dionysii narratione petito supplere. Neque vero in regum Romanorum historia plane alienis vestigiis liber videtur. Idem denique aliquoties in res quoque Samnitium valet atque Gallorum, quorum historiæ continuandæ gratia, quum Dionysius in tempora desineret a primo bello Punico proxima, alios circumspicere duces in posterum adhibendos coactus Noster est. At casu, ut videtur, fortuito potius, quam consilio proposito ductus nec certe nisi in iis, quæ minoris momenti sunt, ad illos confugit; in maxima harum quoque

⁴⁾ Initium cepisse Appiani historiam ab Ænea, Photius ait (in Bibl. Cod. LVII), cursim inde ad pucros usque (Romulum et Remum) progressam esse, sed a Romulo, urbis conditore, accuratius deinde singula persecutam. Illam vero Dionysii historiæ partem ab ultima antiquitate repetitam atque ab eo uberrime tractatam, tum quæ deinceps narrata ejusdem generis sunt, Appianus vel neglexit omnino vel festinanter oculis percucurrit. Ea saltem, quæ Dionysius (I, 27 sqq.) ad Herodoti et aliorum errores refellendos attulit, de Tyrrhenis Lydorum colonis fabulantium, vix videtur legisse, si librum VIII de rebus Punicis respexeris (c. 66), ubi ludiorum sive ludionum nomen inde ortum opinatur, quod Tyrrheni Lydorum coloni essent; nisi forte Appianus a Dionysio persuaderi sibi passus non est. Rursus qua ratione antiquiores illas res perlegerit, exemplum infra videas. Hoc vero ab Dionysio et Pisone didicit, ut antiquitatem mythico colore exueret (vid. d. Rea et pueris I, 1; d. Romuli morte I, 2).

rerum parte, nulla ratione ceterorum habita, unum Dionysium Appianus compilavit; in qua compilatione certis argumentis indiciisque probanda ipsa locorum infra collatorum disquisitio præcipue versatur. Neque vero quænam universi operis Appiani forma, ratio, consilium sit, neque quos qualesve fontes in historia perscribenda adierit, neque qua fide, diligentia, iudicio illos in rem suam converterit, ullam generaliter disputandi necessitatem sua natura nobis imponit materia, quam hac commentatione pertractandam sumpsimus. In excerptis et fragmentis nec ita multis nec magnis versamur, quæ certe, quum ad quæstionem nobis propositam comprobendam omnino sufficiant, parum rursus ad cetera dijudicanda auxilii suppeditant. Neque vero nisi de nudo compilatore agitur, omnia fere ex uno fonte haurientis. Quæ quum ita sint, non alia de Appiano ejusque opere et fontibus exponere decrevimus, nisi quæ cum hac parte ita rationem habebunt, ut partim ab ea aliquid lucis accipere, partim ei vicissim afferre videantur. Ceterum lectores ad universi operis Appiani præfationem mittimus (c. 12 sqq.), ubi miserum illud excerptendi sive compilandi genus rerumque dispositio omni arte historica destituta, cum quadam nominum temporumque notandorum incuria conjuncta ab ipso quasi sub oculos subjiciuntur, ex qua jam perversa rei tractandæ ratione et ex summa ignorantia, negligentia, confusione memoriæ, linguæ præterea Latinæ imperitia⁵⁾ foedi illi

⁵⁾ Ne quid de Nostro temere contendam, rem argumentis ex quadam historiæ parte allatis probare conabor. In conjuratione Catilinaria breviter exponenda Sallustii narrationem Appianum imprimis secutum esse, magna utriusque inter se comparati similitudo mihi persvasit (Appian. Ci-

errores atque peccata fluxerunt, quibus homo alioquin dextri experts ingenii iudiciiue maximam partem historiæ rerum Romanarum inquinavit⁶). Jam in ipsis his locis,

vil. II, 2—8; Sallust. Catilin. 15 — ad fin.); nec tamen Ciceronem (orat. I in Catilin.) neque Plutarchum (vit. Cic.) in una aliqua re ab eo negaverim esse consultos. Etiam si vero confusione atque negligentia, quæ in ejus consuetudine sunt, unum et alterum tribuendum esse videtur, multo tamen plura in his rebus peccata Latini sermonis ignorantia originem debent. Jam c. 2 falsa omnino interpretatione in errores videtur incidisse, quin etiam, quum Catilinam a mulieribus magnam pecuniæ vim corrogasse narraverit, illa Sallustii verba (c. 24) "æs alienum grande conflaverant (mulieres)", ita intellexisse, quasi pecuniam grandem comparasse eæ dicerentur. Sallustii vv. c. 47 "Senatus decernit, uti abdicato magistratu Lentulus cett." Appianus c. 5 ita vertit: ἡ μὲν βουλὴ Λέντιον παρέλκυσε τῆς ἀρχῆς (Lentulo magistratum ademit). Sallustii "diversis itineribus" (c. 50), Appian.: "κατ' ὀπισθίας ὁδοὺς" (per posticas) reddit (l. c.). Sallust. vv. (ibidem) "Dum hæc in senatu aguntur cett. — Consul ubi ea parari cognovit, dispositis præsiidiis, — convocato senatu refert cett." Appianus (l. c.) sententia verborum "dum — aguntur" perperam intellecta, ridicule interpretatur: "ὅν ὁ Κικέρων πυνθόμενος ἐξέδραμεν ἐκ τοῦ βουλευτηρίου καὶ διαθείε — φύλακας ἐπανήλθε καὶ τὴν γνώμην ἐπετάχυνε" (quo cognito, Cicero procurrit e curia dispositisque præsiidiis reversus urgebat sententias); quasi vero hæc omnia uno eodemque tempore gerantur. Quum Galliam apud Sallust. 56 sqq. falso de Transalpina intellexerit, Sallust. vv. c. 57 "per montes" (ᾧ: per m. Apennin.) "ὑπὲρ Ἀλπεις" ab eo vertuntur et Antonius Catilinam trans Alpes assecutus vicisse narratur (c. 7).

⁶) Quod quum ubique ab Nostro factum sit, tum maxime in illis librorum monstris apparet, Hispaniensem dico et de bellis civilibus primum, ubi mirum quantum rerum gestarum, institutorum publicorum, terrarum locorumque memoriam perturbavit.

quibus tractandis curam insumpsimus, quanquam rarius ab Nostro nec tantopere peccatum est, ut qui Græcum scriptorem ducem haberet et in rebus versaretur non ita magna compilandi difficultate conjunctis, nihilominus tamen hic quoque ejusdem perversitatis vestigia invenias, quam in opere ejus deinceps in immane auctam videmus. Quæ quoniam nostra commentatione uberius enarrabuntur, breviori disputatione hic defungemur. In his igitur rebus conscribendis Appianus, quanquam e Dionysii narratione hoc et illud nonnunquam ad verbum exscribere eodemque ordine exponere non dubitavit, multo tamen sæpius singula illius verba sententiasque, tanquam locis nova specie et colore indutis compilationem callide tegere studeret, nunc transposuit, nunc variavit, nunc circumlocutus est; omnia denique ab illo copiosius narrata in pauciora plerumque Noster redegit. Alios fontes in usum adhibere, raro ei in mentem venit; semel et iterum aliquid e memoria videtur scripsisse; quæ suo ingenio invenit, ea commemorare ne operæ quidem pretium est. Quæ scribendi compilandive ratione usus plura hic illic negligenter legit, memoria destitutus confudit, falso interpretatus est. D. Reg. I Faunus et Latinus permiscetur; ibid. II Hostilio Anco nomen datur; in Anci Marcii mortem morbum Tulli Hostilii videtur transtulisse; de Romulo autem sibi deinceps ipse repugnat (Civil. II, 114); ibid. XI clientes (apud Dionys. V, 40 *πελάτας*) servos (*δούλους*) interpretatur. Italic. V, 3, Valeria, Poplicolæ filia, soror ejus vocatur; ibid. V, 2, deliberationem rei in rem jam actam convertit (vid. infr.); idem peccatum Samnit. VII, 3, ubi Æmilium bellum adversus Samnites gerentem fecit, quod gerendum, an omittendum esset, tunc a patribus deliberabatur (Dionys.

XVII, 10), et Tarentinorum causa omissum profecto est. Ejusmodi peccata alia in aliis Nostri libris sunt: Hannibalic. c. 5, Publius Scipio in Hispania bellum gerit, deinde Gnæum fratrem ad res administrandas ibidem relinquit, quorum uterque in Hispaniam nondum venerat ⁷⁾. Jam ipsis his locis, ubi Dionysium ad manum habuit, in magistratibus dignitatibusque Romanis Græce significandis parum accuratus est. Publicorum enim institutorum ignarus non ejus generis appellationum ne Græcarum quidem satis notitiæ videtur habuisse. Italic. V, 4, ὑπάτους pro ὑπατιζούς, consules pro consularibus posuit (vid. ib. not.); Gallic. V ὑπατος ἀρχή de dictatura (vid. Dionys. XIII, 7, de Camillo; ibid. 11, de consulatu Manlii, ubi ὑπατος ἀρχή adhib.). In aliis denique rebus compilandis cum fraude videtur egisse. Italic. V, 4, 5, sententias a diversis Dionysii locis mutuatus orationes composuit ejusque distributionem verborum permutavit. Italic. VII, res a militibus seditiosis gestas e duobus apud Dionysium diversis locis consarcinavit (IX, 3, a. u. c. 273; IX, 50 a. u. c. 283). Quæ quanquam ipsa per se non ita magni momenti sunt, ex iis tamen aliam deinceps ejusmodi fraudulentiam colligere licet. Utrum vero Samnit. IV, 3 sqq. narrationem de Herennio antiquo colore, quem Livius servavit (IX, 3), Appianus exuerit, an hoc jam ab Dionysio factum sit, in medio est relinquendum. Neque enim quidquam ex Dionysii narratione superest, nisi excerptum breve de clade Caudina (XVI, 3) et in

⁷⁾ L. c. exemplo etiam est, quam temere Schweighaeuser Appianum erroribus liberare quæsiverit. Vid. Interpret. Latin. Vol. I, p. 233.

farragine excerptorum XVI, 4—8 fragmenta duo, quorum alterum (l. c. 4, init.) ad Romanos supplicantes (cfr. Appian. l. c. IV, 2); alterum (l. c. 4 et 5) ad Pontii filii orationem pertinet patrem refellentis (Appian. IV, 4). Quibus inter se collatis, illud quidem dubitari nequit, quin in his quoque rebus Appianus Dionysium compilaverit, sed fieri potuit, ut, quæ hic solita fortasse loquacitate per longas orationes sexcenties repetisset, ea Appianus adeo resecaret, ut nisi ad extremas Herennii et filii deliberationes animum non attenderet. — Appianum nonnunquam in ea historiæ parte, de qua agetur, ab aliis præter Dionysium scriptoribus unum et alterum sumpsisse, jam supra indicavimus. Hoc primum ex ipsa rerum discrepantia intelligitur. Huc pertinent, quæ in regum historia de Latinorum nomine dicta sunt, de serie regum Albanorum, de Romulo Silvio, de Silviorum cognomine, de Reæ Silviae nomine, sicut Lavinia, discrepante, de miti Romuli imperio, de morbo Anci, porro de aliis paucis, quæ plus minusve ab Dionysio discedunt. Samnitic. X, 5 de captivis a Pyrrho remissis Appianus ab Dionysio diversus (XVIII, 27) solo cum Plutarcho congruit (Pyrrh. 20). Eadem, quæ Dionysius, Ennius tradidit (Cic. d. off. I, 13), Livius Epit. XIII, Florus I, 18, Eutropius II, 7, Victor d. vir. ill. 35, Zonaras, qui Dionem C. sequitur, VIII, 4. Neque enim Niebuhrio assentior, qui, quum loco Dionysii supra laudato non multum tribuat, Appiani atque Plutarchi narrationem ab ceteris discrepantem Halicarnassensi originem credit debere, quem illorum uterque in his rebus sequatur (V. III p. 587). Opponam saltem, quod Appianus, ut ex ipso hoc excerpto apparet (X, 4), jam in altero Fabricii responso referendo ab Dionysio

discessit atque eundem cum Plutarcho fontem aut ipsum fortasse Plutarchum adiit, ad quod V. C. animum non attendit. His discrepantiæ exemplis allatis, unum denique fragmentum addam Gallic. X, ubi certamen singulare Valerii cum Gallo regulo attingitur, de quo certamine quum Livius (VII, 26), Dionysius (XV, 1), Gellius (N. A. IX, 11), qui ad libros annales provocat, inter se consentiant, brevis Appiani locus ad verba saltem nonnihil videtur discrepare. Deinde loci Appiani inveniuntur, ubi nullis auctoribus nomine citatis discrepantiam scriptorum ipse indicavit. D Reg. I duæ traditiones de Ascanio sunt, quarum non nisi priorem cum Dionysio communem habet⁸⁾. Samnit. X, 3 discrepari dicitur, utrum Cineas an Pyrrhus quibusdam verbis usus sit. Plutarchus illa verba ad Cineam solum retulit (Pyrrh. 19); Dionysii excerptis h. l. destituimur. Samnitic. X, 4 de responsis Fabricii agitur, quorum alterum prius allatum ad sententiam saltem cum Dionysio (XVIII, 11—17), alterum ex alio fonte haustum cum Plutarcho congruit (Pyrrh. 20). In ejusmodi rebus Appianus loquacissimo scribendi genere fortasse fatigatus, quo Dionysius ad extremum sui similis usus perpetuo est, alium nonnunquam auctorem videtur adisse. — Locus denique occurrit, ubi in re quadam audacter gesta scriptorem Romanum testem nomine advocavit (Gall. VI); quis autem fuerit, quum nomen corrupte scriptum sit, vix dijudicari potest; de quo infra viderimus. Huc accedit, quod in reliquo deinceps opere scriptores nonnullos nomine laudavit, quos utrum in his

⁸⁾ Duplicem memoriam de morte Romuli non huc traducam; nam sic omnes.

rebus consuluerit, necne consuluerit, quærendum nobis est. Gallic. I, 3 in clade L. Cassio a. u. 647 illata Claudium (corrupto prænomine Paulum) testem advocavit; Hannibalic. c. 27 Q. Fabium (Pictorem), Punic. c. 132 Polybium, Mithridatic. c. 8 Hieronymum (Cardianum) nominibus Noster laudavit. — Antea autem, quam ad illos auctores tangendos aggrediar, de duobus scriptoribus dicendum erit, quos ab Appiano aliquis credat in usum esse adhibitos, Livium dico et Plutarchum. Fuerunt enim, qui Appianum multa e Livii libris hausisse contenderent, quin Plutarchum ad verbum exscribere solitum; quorum neutris assentior. Imo potius dicam, Livium nusquam in universo opere, nisi in priore historiæ regum parte, ab Nostro esse consultum; quanquam ne de ea quidem quidquam pro certo affirmari potest. At certe tanta est in singulis antiquiorum temporum rebus cum Livio similitudo, ut non prorsus negare audeam, quin ab eo Appianus hoc vel illud sumpsisse videatur; quum præsertim locorum apud utrumque similium unum et alterum apud alium neminem inveni-erim. Hujus similitudinis exempla sunt I, 1 nomen Lat. Aboriginibus ab Ænea datum, altera de Ascanio narratio, quæ Livianæ confusio- ni originem videtur debere, Romuli Silvii nomen utrique commune, impietas ejus, cui ceteri immorantur, ab utroque prætermis- sa, utriusque de Silviorum cognomine admonitio, Reæ Silviæ nomen; I, 4, preces Sabinarum, alia, de quibus infr. In reliquo opere Appiani nulla Livii aditi vestigia indagavi; quæ vero cum Livio similitudo Appiano deinceps intercedit, omnino alia est, cujus originem inde repetas, quod hic illic utrique iidem ad manum fontes fuerunt, in extrema historia Punica, in rebus

Macedonicis, Syriacis, Polybius; in ceteris rebus alii, quorum vestigia in scriptorum discrepantia, quæ ab Livio sæpius indicatur, haud raro invenias⁹⁾. Imo vero,

⁹⁾ Ut aliquot exemplis defungar, vestigia fontis ab Appiano in altero bello Punico aditi nonnulla Livio adjutore in medium proferam. Liv. XXV, 36 duas diversas de G. Scipionis cæde narrationes refert, quarum utram Appianus secutus sit, Hispan. c. 16 videas. Liv. XXVI, 49, scriptorum de numero militum præsidii Punici discrepantiam indicat, ubi etiam Appiani fontis numerum invenias (Hispan. 19). De cæde Gracchi uterque vulgatiorem famam sequitur (Liv. XXV, 16, 17; App. Hannibal. 35). Liv. XXIII, 47 certamini inter Tauream et Asellum mirabilem rem in quibusdam annalibus adjectam invenit; ex uno eorum Appian. hausit (Hannibal. 37), qui ceteroquin ad aliud tempus certamen retulit. De Fulvio Flacco ab Liviana narratione (XXVI, 4 sqq.) Appian. discedit (Hannib. 41, 42), at paulo infra apud Liv. XXVI, 6 aliorum discrepantia observatur, inter quos Appiani fontem agnoscas. De Marcelli cæde mirum quantum variasse auctores Livius dicit (XXVII, 27), de Marcello speculandi causa egresso inter plerosque convenire; at inter eos, qui aliter traderunt fontem Appiani referendum esse apparet (Hannib. 50). Apud Plutarchum (Marcell. 30) de Marcelli morte plures scriptores laudantur, inter quos tamen fontem Nostri frustra quæsiveris. De navibus onerariis Carthagine missis (Liv. XXVIII, 46) Appianum (Hannibal 54) nonnihil cum Coelio consentire, Valerio Antiati repugnare videas. De Pleminii morte (Liv. XXIX, 22; XXXIV, 44) Appiano cum Clodio Licino convenit (Hannib. 55), at in ceteris, quæ de ea re narrantur, uterque dissentit. De numero militum a Scipione in Africam transportatorum Livius (XXIX, 25) admodum inter se discrepare auctores ait, sed ibi quoque Appiani fontem inter eos agnoscas, quos nullo nomine ille indicavit (vid App. Punic. 13). De Hannone capto (Liv. XXIX, 35) Appianus (Punic. 14) cum Coelio et Valerio congruit, quorum utrique alioquin ubivis fere repugnat. In his subsistam; neque vero alia ratio Appiano in ceteris rebus cum Livio intercedit.

id quod gravius testimonium est, *Illyric. cc. 6, 29*, Appianus de bellis adversus Rhætos, Noricos, Mysos, nullam se apud scriptores mentionem invenisse dicit, quæ tamen, si Livium adisset, haud dubie ab eo didicisset (v. *Epitom. 134 et 136*). Quæ quum ita sint, Appianus, si profecto ab operis sui initio Livium consulere coepit, certe consilio deinde mutato, quod in quadam historiæ parte Dionysii libros compilare commodius esset et in reliquis rebus aliorum auctorum, quos Livio præferret, notitiam sibi comparasset, ab Liviani operis usu omnino recessisse dicendus est nec, quidquid prætermissum ab illis esset, ab Livio compertum iri sperasse. Hæc de Livio. — Jam quod ad Plutarchum attinet, paucis rem absolvam. Vitas illas Romuli, Numæ, Poplicolæ, Camilli, Coriolani, Pyrrhi cum his excerptis fragmentisque Appiani comparantem licet videre, quam longe absit, ut Appianus, quemadmodum Dionysium, sic Plutarchum quoque in his rebus usquam compilaverit. Num vero semel et iterum Plutarchi libros evolverit, hoc et illud iisdem olim lectis acceptum retulerit, alia quæstio est. Ejusmodi exempla sunt, responsum Fabricii, narratio de captivis remissis (*Pyrrh. 20*), Cineas Demostheni æquiparatus (*ibid. 14*), cujus rei mentionem ad Plutarchum auctorem Dio Cassius refert (*E. V. XXXVIII, Reimar. I p. 18; Appian. Samnit. X*); addi fortasse possunt, quæ a Plutarcho de sorte suprema regum R. narrantur (*Num. 22*), de Tarpeia (*Rom. 17*), de reverentia populi adversus Coriolanum (*Cor. 14*); in quibus rebus Appianus Plutarcho similior ab Dionysio videtur discedere, neque tamen quidquam obstat, quo minus Appianus ex eodem cum Plutarcho fonte hausisse dici possit, nec Dionis testimonio tribuendum

tantum est, ut eo res dijudicetur. Quæ hic de Plutarcho dicta sunt, ea in reliquam quoque Appiani historiam cadunt.¹⁰⁾

Itam ad illos scriptores ab ipso Appiano nomine laudatos transeundum erit. In libro Gallico (VI), ubi de Dorsonis sacerdotis audacia mentio est, scriptorem Romanum testem advocavit; quam rem ab Dionysio fortasse prætermisam, ceteroquin, ut videtur, vulgatam, Livius (V, 46), Dio (E. XIX, Reimar. I p. 14), Florus (I, 13, 6), Valerius Max. (I, 1, 11) commemorarunt, Plutarchus præteriit. Nomen autem scriptoris, quem Appianus citavit, dubitationem habet; legebatur enim in MS. Vales. *Καύσιος*, quod Valesius in *Κάσσιος* (transposito accentu) mutavit, quam emendationem editores secuti sunt. Qui si Cassius ille Hemina fuit, a Plinio (H. N. XIII, 13, XXIX, 1) et Gellio (N. A. XVII, 21, 3) laudatus, qui in annales ab u. c. ad sua tempora aut saltem ad bellum Punicum II deductos multa e sacris libris et traditionibus videtur transtulisse, satis antiquum annalium scriptorem ad manum habuit Appianus. Vixit enim circa a. u. c. 608. Num vero sub nomine *Καύσιος Κάσσιος* lateat, non possum non admodum dubitare; nomen enim illud mendosum ex *Κλαύδιος* æque corrumpi potuit, nec Cassius illorum scriptorum videtur fuisse, quos in his rebus consulere Appiani interesset. Ne Livio quidem placuit, qui nusquam toto opere Cassii nomen laudaverit (vid. Lachmann. de font. Liv. I, 44). Idem quoque in Dionysium valet. Quisquis autem h. l. citatus est,

¹⁰⁾ De suppositicio illo libro Parthico, qui falso Appiano tributus est, vid. Schweighæuser. Opusc. Academ. II, p. 61 sqq.

certe scriptor Romanus fuit, quem in his rebus præter Dionysium Græcum in usum hic illic adhibuit. Nec in nomine nude posito *Ῥωμαῖος* hærendum, quod idem h. l. atque *Ῥωμαϊκὸς συγγραφεὺς* valet (Præfat. 12; Civ. II, 70, IV, 16). — In ea parte rerum Gallicarum, quæ in Cæsaris temporibus versatur (I Epit. 3), ubi Cæsaris ephemeridibus vel potius Asinii Pollionis opere usus est, redintegrata memoria rei aliquanto ante gestæ, ad annales provocat Claudii (corrupto prænomine Pauli)¹¹), quem in superioribus Gallicis rebus ducem ab eo adhibitum esse, inde colligere licet. Quintum autem Claudium dici, cognomine Quadrigarium, quem Velleius P. (II, 9) Sisennæ cum Rutilio et Valerio Antiæ æqualem fecit, pluribus adductis rationibus mihi persuasum habeo. Ejus annales a bello inde Gallico initium cepisse et ad ipsius tempora esse deductos, satis constat. Orosius (V, 20) numerum militum ad Sacriportum cæсорum (a. u. c. 672) ex ejus historia citavit. Acilianos autem annales partim ex Græco in Latinum sermonem verterat, partim eos secutus erat¹²). Ejus autem libros crebro

¹¹) Corruptela inest vv. *Πάλλω τῶ*; neque enim *Πάλλος ὁ Κλαύδιος* recte dicitur, neque quisquam scriptor eo nomine notus est. Puto autem in "τῶ" syllabam finalem corrupti nominis "*Κοίντῶ*" latere; nisi forte *Πάλλω* ex alio contextus vocabulo corruptum est.

¹²) Num Acilianus interpretes idem cum Claudio Quadrigario fuerit, Lachmann (I p. 35) valde dubitat; "Livius, inquit, Acilii interpretem (XXV, 39; XXXV, 14) a Claudio (Quadrigario) distingvit, quem sæpius hoc non addito citat (XXXIII, 10, XXXVIII, 41, XLIV, 15). Eos autem, quos Livius in rebus a clade Gallica adhibuit annales, non translationem, ut plerique putant, sed ipsius Claudii opus fuisse pro certo habeo". Sic Lachmann. At in duobus illis Livianis locis parum mihi quidem causæ videtur inesse, cur

scriptores rerum et grammatici in usum converterunt. Per omne opus Livianum, quod integrum est, Claudium hic illic nomine citatum videmus. Ex ejus libris Livius res laudat ab aliis non traditas (VIII, 19, XXXVIII, 41, XLIV, 15); hunc scriptorem numerum captorum cæsorumque immodice augmentem haud temere sequendum elegit (XXX, 10), sed pluribus auctoribus potius fidem habuit (VI, 42, IX, 5). Eodem Seneca usus est (de Benef. III, 23). Claudium Gellius per omnes libros præcipue laudavit; idem in Orosium valet, qui eum sæpius, in bello Macedonico (IV, 20), Achaico (V, 3), Numantino (V, 4), in aliis, ad manum habuit. Neque vero Plutarcho incognitus fuit, qui pugnam ad Anienem (Coriol. 41) ab Claudio sumpsit (cfr. Liv. VI, 42) et Clodium quendam alio loco (Num. 1) citavit, qui idem atque Claudius Noster videtur. Claudio denique

Claudium interpretem diversum a Quadrigario putes. Altero loco enim Claudium Acilianos annales Latine vertisse Livius dixit, neque profecto eum ita distinxit, ut de alio quodam cogitare liceat; altero non Claudius dicitur nisi aliquid tradidisse Acilianos libros secutus; qui posterior locus pro Claudio ab Livio alias laudato stare mihi videtur et contra Lachmanni distinctionem prorsus repugnare, cui etiam omnium scriptorum silentium opponam; neque alius quisquam Claudius, id quod haud levis momenti est, in universa historia belli Punici secundi ab Livio citatur. Et duo illi loci s. c. ejusdem plane indolis sunt, atque ceteri omnes, quos alias Livius hic illic laudavit: alter enim numerum cæsorum impudenter auget; alter rem mirabilem adjicit, ab aliis omissam. Quibus consideratis colligi licet, Claudium in belli saltem Punici II historia exponenda Acilianos annales in Latinum sermonem translatis suo operi inseruisse; eosdem etiam in reliquis deinceps rebus ob oculos illum habuisse, alter locus supr. citatus ostendit.

Servius, Macrobius, Nonius, Priscianus usi identidem sunt. Per vero amplum et copiosum opus fuisse, ex librorum jam ambitu numeroque licet colligere; idem ejus fragmenta testantur, quæ oratorium scribendi genus produunt; et quidem in rebus Punicis mirum quantum prolixum fuisse, satis apparet (vid. Lachm. II, p. 22). Claudium ubique fabulatorem rerumque exornatorem agnoscere licet (cfr. historiolas apud Gell. IX, 13, de Manlii pugna singulari cum Gallo; ap. Oros. V, 4, de re mirabili a Lusitano quodam gesta; ap. Senec. d. Benef. III, 23, de domina et servis; ap. Liv. XXXV, 14, de Scipionis et Hannibalis colloquio). Hunc autem auctorem, cujus jam oratorium scribendi genus cum quadam sermonis Latini simplicitate conjunctum Appianum ad se allicere debebat, non in Gallicis solum rebus, sed in magna etiam reliqui operis parte in usum videtur convertisse. In rebus Syriacis (cc. 9, 10, 11), ubi Polybium ducem habuit, narrationem illam de Scipione Africano legato ejusque colloquio cum Hannibale ex Claudii historia in suam transtulit; neque enim eam historiolum Polybio deberi, ex Liv. XXXV, 14 apparet, qui in iis rebus Polybium maxime secutus ad Claudium eam refert, neque ex Livii narratione quidquam Appianum exscripsisse, qui præsertim omnia multo uberius exposuerit, utriusque verba comparanti perspicuum erit. In ceteris quoque rebus, ubi Polybium sequitur, multa Polybianæ narrationi aliena immiscuit, quorum plura ad Claudium referre non dubitaverim (cfr. Appian. Punic. c. 74 — ad fin. libr.; Polyb. frgm. I. XXXVI et XXXVII). Jam in ea libri Gallici parte, ubi Dionysio Appianus præcipuo duce usus est, quamquam in his excerptis et fragmentis nihil ad comparandum offertur, veri ta-

men simile est, Claudium in hac vel illa re, qua a Dionysio Noster discessit, ab eo esse consultum. Quin illam narrationem de Dorone sacerdote ab Claudio sumptam esse non possum non suspicari. In reliquis deinceps rebus Gallicis ad ea usque tempora, in quæ annales Claudii desiere, hujus auctoritatem Appianum secutum esse, ex loco supr. c. (Gall. I, 3) conjiciendum est. Nonnulla denique fontis Appiani vestigia, quæ apud Livium inveniri supra ostendimus, Claudianam videntur originem prodere (cfr. Liv. XXIII, 47); neque prorsus a veri similitudine abest, quin plura eorum, quæ ab Nostro Hannibalic. c. 40—67 narrantur (e. c. certaminum singularium miracula), e Claudiani fontis copia hausta sint. — In bello Hannibalic. (c. 27) Q. Fabium legatum Delphos missum esse¹³⁾ tradidit eundemque illarum rerum scriptorem vocavit; quæ tamen Fabii commemorandi ratio jam ipsa per se nihil de ejus annalibus ab Appiano adhibitis videtur probare. Quidni enim Fabium, quum annales, non singularem rerum Punicarum historiam conscripsisset, eodem modo, quo Claudium, laudavit, quem in rebus Gallicis (l. c.) testem advocatum non earum rerum scriptorem appellavit, sed claris verbis ejus citavit annales? Potius credam Appianum non Fabium nisi ex alio fonte (fortasse Claudio) citatum habere, quem præclarum historicum Delphos legatum missum recentiores annalium scriptores non potuerunt non commemorare, quum præsertim Fabius in suis ipse annalibus eam legationem uberius commemorasse videatur. At aliis causis mihi videor jure dubitare, num vetustum illum scriptorem Appianus ducem adhibuerit.

¹³⁾ Cfr. Liv. XXII, 57; Plutarch. Fab. Max. 18.

Neque enim in antiquiorum temporum fabulis¹⁴⁾, neque in vetere rei publicæ historia, in cujus fragmentis hic versamur, ullum Fabii ab Appiano adhibiti vestigium invenitur (cfr. de Tarpeia, Coriolano infr. not.). Sed hæc fortasse levioris momenti sunt. At vero, ut ad graviora documenta veniamus, quum Livius (XXII, 7), qui in clade ad Trasimenum commemoranda Fabium potissimum auctorem se habuisse dicit, et Polybius (III, 84 sqq.), qui eundem ducem sequitur, de numero cæso- rum captorumque inter se consentiant, Appianum, qui alia omnia tradit (Hannibal. 9, 10, 11), neque de Romanis in acie cæsis, quorum XX milia habet, XV illi, nec de militibus a Maharbale captis, quorum X milia numerat, VI illi, a Fabio quidquam accepisse videas. Neque vero numeros apud Appian, corruptos esse, ipse verborum contextus plane ostendit. De Centenio alium quoque auctorem longe dissentientem secutus est; cfr. Corn. Nep. Hannib. 4. Nec si ea, quæ Polybius (III, 8) ex Fabii narratione citavit, cum Appiano compara- veris, simile quidquam apud Nostrum invenias. De Hasdrubale res novas moliente legesque patrias antiquare atque formam rei publicæ in principatum unius mutare tentante Appianus in universa historia Punica tacet. Huc accedit, quod in iis locis Livianis, qui Appiani fontem nullo nomine adjecto indicant, ne unum quidem vestigium inveni, quod cum aliqua veri specie ad Fa- bium referri posset. Quare, donec contrarium certis argumentis probatum videro, Niebuhrio (P. IV, pp. 47, 98) non assentiar, qui Appiano, antequam Polybium se- quendum elegisset, Fabium ducem fuisse contendit, nulla

¹⁴⁾ Cfr. fragm. ap. Euseb. infr. I laudatum.

alia ratione ductus, nisi quod Fabium Appianus illo loco nomine laudasset. Quod quum de Appiano satis constare Niebuhrius putaret, idem in Dionem quoque, cui in parte rerum Punicarum similitudo cum Appiano intercederet, non minus valere credidit; nec tamen illum fortasse ex aliis præterea fontibus hausisse negat. Hæc de Fabio. — Non ante huic præfationi finem facturus sum, quam binis vel ternis verbis Polybium et Hieronymum commemoravero, quos ab Appiano laudatos esse supra indicavi. Polybius de diversis bellis, quæ cum Romanis Galli gesserunt, I, I, 6; II, per. tot. lib. mentionem fecit; quos si Polybii locos cum Gallici libri fragmentis comparaveris, ex iis nihil Appianum in suam historiam transtulisse, facile intellexeris. Hieronymum autem Cardianum in rebus ab Alexandro M. gestis (Mithridat. 8) testem ita advocavit, ut vix dubitari possit, quin ejus historiam ad manum habuerit. Utrum vero in rebus quoque a Pyrrho gestis scriptor Cardianus, quem Dionysius et Plutarchus plus minusve in usum adhibuerunt¹⁵⁾, Appiano ante oculos fuerit, dijudicari nequit; fieri autem potuit, ut eorum, in quibus Appianus ab Dionysio diversus cum Plutarcho consentit, unum et alterum originem illi scriptori deberet.

¹⁵⁾ Cfr. Dionys. I, 6; Plutarch. (Pyrrh. 17, 21).

II.

Ex Appiani

Romanarum Historiarum Libro I.

Sive De Regibus

Excerpta & Fragmenta.

I. Excerptum Photii, in Bibliotheca, Cod. LVII. ¹⁾).

1. Quæ h. l. Appianus de Æneæ genere, de fuga ejus longisque erroribus, de adventu in littus Laurentinum, de Troiæ nomine oræ maritimæ dato, brevibus verbis complexus est, ea Dionysii lectorem prodere videntur, cujus ad similitudinem Noster, sive res ex memoria scripsit, sive paginas oculis pervolvit, multo propius accedit, quam cuiquam aliorum ²⁾. Idem quoque in Faunum valet, Martis filium ab utroque appel-

¹⁾ Quum Photio testante (l. c.) Appianus res ab Ænea inde ad Romulum usque non nisi cursim (ἐν ἐπιδρομῇ) tractaverit, considerata etiam brevitate Nostri in aliis, quorum singula accuratius persequi non sua interesse putaverit, non possum mihi persuadere, brevem modo epitomen libri I. Photium exhibuisse, neque narrationem, quam hic legimus, singulorum verborum fortasse uno et altero vel corrupto vel transposito vel etiam prætermisso, in universum magis ex Appiani libro exscriptam, quam contractam esse. Huc accedit, quod Photius non illam solum discrepantiam de Ascanio ab Appiano indicatam exhibuit, sed obliquæ etiam orationis formam in Albanis regibus recensendis ab eodem usurpatam servavit.

²⁾ Cfr. Dionys. I, 45. 53. 55. 62. Liv. I, 1. Diodor. S. I. VII. fragment. apud Eusebium Aucher p. 386 sqq. Dio Cass. fragm. Valesii III apud Reimar. p. 2. Auctor Orig. G. R. c. X. XII. Zonar. VII, 1. cett.

latum³⁾. At postquam de adventu Troianorum in eam Italiae partem, quæ ab Aboriginibus incolebatur, mentionem fecit, seu confusa memoria, seu oculorum errore illusus, superiorem illum Aboriginum regem Faunum, quem in fabulis de adventu primum Evandri, deinde Herculis, copiis Troianis comitati, Dionysius supra (I, 31. 42. 60.) commemoravit, Appianus ad hæc Æneæ tempora non traduxit solum, sed eundem etiam cum Latino esse, patre Laviniae, sibi persuasit, nec observato errore, quæ ejus incuria est, de illo eadem omnia narravit, quæ de Latino ceteri; tandem vero, ubi de nomine Latinorum agitur Aboriginibus addito, quasi res nullam dubitationem haberet, ex duabus personis una facta⁴⁾, illum Latinum Faunum appellavit. Neque vero in his rebus corruptelæ ullius vestigia sunt aut librario aut excerptori tribuendæ, nec si, quod primo fortasse aspectu placuerit, pro *Λατίνου Φαύνου* h. l. *Λατίνου τῶν Φαύνου* legas, ullo modo Appianus errore liberetur. De agro trium s. quadringentorum⁵⁾ in circuitu stadiorum Æneæ attributo deque condito Lavinio ab Dionysio (c. 59), nisi in numero stadiorum fortasse corrupto, non dissentit. Temporum rationem, regnum

Vulgo filius Pici fertur, cfr. Virgil Æn. VII, 48. Dio Cass. l. c. Reimar. p. 2. Servius ad Æn. X, 76. Lactant. Div. Inst. I, 22. Alii aliter. cfr. Auctor O. G. R. c. IV et not. Schroeter.

4) Contra in Bello Hannib c. 37. 40. 41. duas personas ex una, ex Appio Claudio consule Claudium et Appium consules fecit, qua culpa Nostrum levare Schweighaeuser temere conatus est.

5) γ' s. v', nam utrumque Codd. dant. Dionys. c. 59 st. μ', quadraginta; Auct. O. G. R. c. XII quingenta jugera ponit; ceteri tacent.

affinitatis jure Æneæ traditum, nomen populi ab Latino ductum Noster cum Dionysio ⁶⁾, illud vero, quod Æneas populo nomen Latinis dedit, cum Livio ⁷⁾ commune habet. Quæ de morte Æneæ narrantur in bello cum Rutulis ⁸⁾ propter Laviniam gesto, ea, quum post Fauni (i. e. Latini) mortem, ab Nostro sicut ab Dionysio (c. 64) jam in superioribus indicatam, bellum Latini Turnique commemorare supersederit, et ad Livium (I, 2) et ad Dionysium (I, 64) æque accommodari possunt, quanquam de Turno inter sese plane dissentientes ⁹⁾. Nomen autem Euryleonis cum Ascanii nomine

⁶⁾ Cfr. Dionys. I, 9. 45. 60, 64. Ceterum ab Appiano tempus parum accurate definitur, qui, quo tertius ille annus referendus esset, ne verbo quidem significaverit; tertius autem annus post fugam (*ἀπὸ τῆς ἐξόδου*) perfectus priore loco intelligendus est. Sic Dionys. (c. 64); Diodor. S. qui ab capta Troia numerat (apud Euseb. Aucher p. 386 et fragm. apud Wesseling II p. 636). De altero anno tertio, quem Æneæ regnum explevit, cum Dionysio et Appiano Diodorus quoque (l. c.) atque Virgilius (*Æn.* II, 265) consentiunt. Ceteri annos prætermiserunt.

⁷⁾ Cfr. Liv. I, 2. Aliter Dionys. I. 9. 45. 60.; Dio Cass. (Exc. Vales. III Reimar. p. 2); Zonar. VII, 1. Auct. O. G. R., Virgil., cett. tacent. Quod vero Appianus de solis Aboriginibus, non ut Livius de utraque gente dicit, incuriæ fortasse tribuendum.

⁸⁾ Cfr. annot. Schweighæuseri. Locus nulla nisi verborum transpositorum corruptela mihi videtur laborare; nam *Τυρρηνῶν* adjectivum est = *Τυρρηνικῶν*. Ceterum res Turni Mezentiique inter se videtur confudisse Appianus; quamquam cur Rutulos Tyrrhenos appellaverit, non is mirari debet, qui Alexandrinum geographum aliunde noverit.

⁹⁾ Cfr. præterea Dio Cass. (fragm. V. Reimar. p. 3); O. G. R. c. XIII; Zonar. VII, 1.

deinceps commutatum ab Dionysio ¹⁰⁾ sumptum est. Matrem vero Creusam, quam Dionysius tertio demum libro (c. 31) commemoravit, h. l. Appianus sive ex memoria sive ex altero fonte videtur addidisse; quanquam res vulgata fuit. At duplicem memoriam de Ascanio cum Livio (I, 3) communem unus Noster habet. Neque enim de Ascanio, Laviniae filio, in patris regnum demortui per manus succedente, ullam usquam mentionem fecit Dionysius, qui tamen harum rerum diligentissimus plurimos scriptores inter se comparatos consuluit, neque Diodorus Siculus, neque Dio Cassius, quorum uterque magnum quoque fontium numerum ad manum habuit, neque Virgilius, poeta doctissimus, neque Ovidius, in fabularum copia, ut qui maxime, versatus; quibus testibus gravissimis accedunt ceteri et scriptores rerum et veteres grammatici, quorum clarissimis, Gellio, Servio, Festo, ex magna scriptorum copia hodie perditorum haurire licuit ¹¹⁾. Quæ quum ita sint, Livius aut hac vel illa re deceptus fabulas de Ascanio et Silvio, utroque Æneæ filio, id quod potius crediderim,

¹⁰⁾ Dionys. I, 65: *Ἐβουλέων ὁ μετονομασθεὶς Ἀσκάνιος ἐν τῇ φωνῇ*. Illud vero nomen, quod Dionys. fortasse ex vetere aliquo poeta hausit, apud neminem hodie, nisi Auct. O. G. R., invenitur, cui in his rebus Dionysius ad manum videtur fuisse.

¹¹⁾ Cfr. Dionys. I, 65. 70. III, 31; Diodor. S. (fragm. apud Euseb. Aucher p. 398); Dio Cass. (excerpt. III Reimar I, p. 3); Virgil. Æn. I, 267. VI, 763; Ovid. Metam. XIII, 627. XIV, 583, 609, al.; Fast. IV, 39, sqq.; Gell. Noct. Att. II, 16, de Silvio Postumo; Servius ad Æn. I, 271, VI, 763, qui Catonem laudat, Livium in errorem incidisse dicit, nimirum quod Silvio quoque nomen Ascanio fuerit; Festus v. Silvii; Auct. O. G. R. c. IX, XVI, XVII; Zonar. VII, 1.

inter se confudisse judicandus est, aut ex singulari quodam ac recentiore fonte, quem ceteri levi momento æstimassent vel etiam cognitum non habuissent, illam de Ascanio ejusque filio Silvio narrationem hausisse ¹²⁾. In tempore definiendo, quando Ascanius, Albæ conditor, mortuus sit, si numerus annorum, quem libri exhibent, integer est, primo ille quidem aspectu ab Dionysio (c. 70) atque Diodoro (l. c. p. 388) inter se consentientibus discrepare dicendus est, sed, quum ille numerus apud neminem hodie inveniatur, studio rei variandæ, ut sæpe, inductus, potius Dionysii loco c. 70 perperam intellecto et falsa deinde computandi ratione inita, quam alio fonte consulto in illam discrepantiam videtur incidisse ¹³⁾. Silvium deinde nominat, Ascanio succedentem, quis autem fuerit quove patre natus, ne uno quidem verbo indicatur ¹⁴⁾. Jam vero quod ad illud cete-

¹²⁾ Errat vero Lachmann. (de font. Liv. P. I, p. 52), qui ex iis, quæ in Orig. G. R. c. XIII de Pisone leguntur, hunc fortasse Livio ducem fuisse suspicatur; oculos enim fefellit, de Amatæ morte, non de Turni l. c. mentionem fieri.

¹³⁾ Si duodequadragesimum illum annum τῆς βασιλείας, quem Dionysius l. c. posuit, Appianus de regno Troiano in univ-
ersum interpretatus est, et triginta illos annos inter Lavinium et Albam coloniam deductam (Liv. I, 3; Dionys. I, 66), quemadmodum etiam Diodor (l. c.) atque Virgil. (Æn. I, 269) parum accurate fecerunt, ab Æneæ morte (æ: a quarto post Lavin. condit. anno) numerare coepit, mortis annus ab Nostro indicatus (æ: quartus post Alb. cond.) efficiatur, necesse est.

¹⁴⁾ Silvium Æneæ ex Lavinia natum tradunt Dionys. (I, 70); Virgil. (Æn. VI, 763) Dio Cass. (l. c. Reimar V. I, p. 3); Gellius (II, 16, ad cujus verba in primis attendatur); Auct. O. G. R. c. XVI, XVII; Servius et Festus (ll. cc.); Zonar. VII, 1. Diodor. autem (l. c. p. 388 sqq.) Silvium ille

rorum Albanorum regum stemma attinet, non hic locus exquirendi est, utrum recentiori fraudi omnino debeatur, ut Niebuhrius (I. p. 215), Servio ad *Æn.* VIII, 330 laudato, severe judicat, an rursus, sicut Lachmannus vult, jam apud vetustiores annalium scriptores et apud Fabium quidem inveniatur¹⁵). Adhuc sub judice lis est. Utcunque vero res habet, quum ceteri in Albanorum regum serie recensenda inter se dissentiant, Appianum videas, nisi in duobus nominibus forte omissis hæseris¹⁶), plane cum Livio (I, 3) consentire. Quin

quidem *Æneæ*, sed ex priore Latini conjugis Silvia natum prodit. Ovid. omnino de Silvii genere tacet (*Metam.* XIV, 610, *Fast.* IV, 41, ubi partim "Postumus hinc" partim "Proximus huic" Mss. dant; vid. edit. Merkel.). Sed Livius (I, 3) errore, ut videtur, alio ex alio apto hunc Silvium Ascanii filium appellat, quam narrationem alios quoque auctores habuisse, vix quisquam ex eo conjecerit, quod in illo Dionis fragmento ex Tzetzi scholio excerpto (*Reimar* p. 3) editio Basil. addit: ἢ κατὰ τινος Ἀσκανίου υἱὸς Σιλβίου, quæ vv. *Reimar.* uncis includit. De certamine inter Silvium, *Æneæ*, et Julum, Ascanii filium, Dionysius (I. c.) uberius exposuit, quocum consentiunt Diodor. (I. c. p. 388, sqq.) et Auct. O. G. R. c. XVII. Ceterum Ascanio quoque ab nonnullis nomen Ilo sive Iulo tribui, res vulgo nota; cfr. ipsum Appian. *Civil.* II, 68, ubi alium ducem habuit.

¹⁵) Lachmann. (de font. *Liv.* I, pp. 27, 52) ad fragment. illud Diodori apud Euseb. provocat; quanquam post Fabii narrationem de sue et XXX porcellis ab Diodoro citatam reliqua omnia, quæ Eusebius ex Diodori libro excerpserit, ad eundem Fabium, neque ad ipsum Diodorum referenda esse, non adeo veri simile est. Cfr. Aucher. not. ad context. *Armen.* p. 388.

¹⁶) Duo nomina, quæ inter Latinum et Capyn apud Livium inveniuntur, Albam et Atyn, Appianus an Photius an librarius prætermiserint, incertum. Ceterum præter eadem

regem illum Albanum, cujus impietatem poenasque ceteri commemorant, fulmine ictum uterque nulla causa allata narrat eundemque Romulum appellat, quem Dionysius Alladen, ceteri Aramulium, Aremulum, Amulium, Remulum vocant¹⁷⁾. Silviis autem omnibus cognomen mansisse, qui Albæ regnarunt, ab Livio, non ab Dionysio; Ægestum Numitoris filium fuisse, ab Dionysio, non ab Livio Noster discere potuit¹⁸⁾. Filiam Numitoris, sicut Livius (l. c.), Appianus Ream Silviam vocat, Dionysius (l. c.) Iliam sive Ream cognomine Iliam¹⁹⁾. Pauca, quæ deinceps usque ad verba *Ῥῶμος*

alia tria, quæ Appianus habet, apud Dionem (l. c.) et apud Zonaram, ejus compilatorem (VII, 1) desunt.

¹⁷⁾ Cfr. Dionys. I, 71, ubi Allades legitur, pro quo Eusebius in excerpto illo Dionysii ap. Aucher p. 372 Amulium posuit; Diodor. S., cujus fragm. ap. Euseb. p. 390 Aramulium exhibet, quem paulo infra in alia serie Euseb. Aremulum nominat; sed excerpt. Diodor. I. VI ap. Wesseling II, p. 546 (de Virtut et Vit.) Romulum Silv. præbet. Ceterum nulla Appiano in his rebus cum Diodoro similitudo intercedit. Ovid. (Metam. XIV, 617, Fast. IV, 49) Remulum; Dio Cass. (Reimar I, p. 3) Amulium; Auct. O. G. R. (c. XVIII) Aremulum; Orosius (I, 20) Aremulum (unus Cod. Lugd. Batt. Romulum); Zonar. (VII, 1) Amulium habet. Nomen Romulum apud Appian. et Liv. sine ulla varietate omnes libri dant.

¹⁸⁾ Cfr. Liv. I, 3; Dionys. I, 76, qui *Ἀίγιστον* scribit. Dio Cass. (Reimar I, p. 3) eum *Ἀίγιστον* vocat; ceteri de nomine tacent.

¹⁹⁾ Plutarch. (Rom. 3) nunc Iliam, nunc Ream, nunc Silviam appellari monet. Dio Cass. (l. c.) Silviam sive Ream Iliam, Strabo (V, 3) et Auct. O. G. R. Ream Silviam exhibent. Matrem geminorum Iliam commemorat Virgil. (Æn. I, 274, VI, 779), Silviam Vestalem Ovid. (Fast. III, 12), Iliam, Numitoris filiam (Fast. IV, 54). Aliam Silviam, Tyrrehi filiam, Virgil. celebravit Æn. VII, 487, 503, aliam Ream sacerdotem, Aventini matrem Æn. VII, 659.

δὲ narrantur, ex Dionysii copia (c. 76 – 79) videtur hausisse et suo ingenio nonnihil variasse, nec tamen Noster, nisi quod ab Dionysio edoctus de mansueto Numitoris animo mentionem fecit, ab Liviana narratione (I, 3, 4) discedit. Nam quod Appianus pastoribus (ποιμίστιν) dicit regem pueros tradidisse in fluvium projiciendos, non inde concludi licet, fontes, quales Plutarchum, Dionem, alios ad manum habuisse videmus, ab eo aditos esse²⁰). Qui apud Dionysium (c. 79) servi sive ministri vocantur, eos Appianus pastores intelligi voluit, quemadmodum infra (XI), qui apud illum (V, 40) clientes nominantur, eos servos fuisse sibi persvasit. Fabulam autem de Vestali a Marte compressa ne dignam quidem existimavit, quam brevi verbo attingeret. Hactenus omnia quasi perpetuo filo cohærere vidimus. Jam vero Photium dicas, ne excerptum nimis abrupte concluderetur, clausulam illam *Ῥώμιος δὲ κ. τ. λ.* ceteroquin parum aptam, antequam finem faceret excerpti, ad superiora adjunxisse, cujus particulae argumentum singulaque verba ab Appiano illa quidem, sed non ex continua ejus narratione sumpta haud dubie sunt. Neque enim alia ratione aut mirus ille subitusque transitus a pueris exponi jussis in Romulum Remumque materno genere gloriantes, aut ipsa grammatica verborum structura non nimis videtur offensionem habere; nisi forte pannus ex deinceps narratis excerptus atque laceratus superioribus assutus esse dicendus potius est,

²⁰) Dio Cass. (Reimar I, pp. 3, 4) Faustulo pastori pueros in Tiberim jaciendos traditos esse narrat. Hanc narrationem Plutarchus quoque (Rom. 3) cognitam habuit, quæ, si Auctori O. G. R. (c. XXI) credere licet, ab Valerio Antiate originem videtur duxisse.

Ceterum ubicunque apud Appianum illa verba fuerunt posita, locus tamen apud Dionys. II, 2 sub fin. ei ante oculos videtur fuisse.

II. Excerptum ejusdem Photii. Ibidem.

Septem reges Romanos, sicut Dionysius (I, 75), sic Appianus etiam in transitu enumeravit; ille vero annos imperii singulorum, hic sortem eorum supremam respexit²¹). Ceterum in aliis quoque rebus ab Dionysio hic illic discessit. Ancum Hostilium pro Tullo vix quisquam noverit²²). De miti patrioque Romuli imperio Appianus, quum Dionysio (II, 56), Plutarcho (Rom. 27; Num. 2), Zonaræ (VII, 4), quin sibimet ipse repugnet (al. loc. Civil II, 114), propius ad Livium (I, 15, 16) accedere videtur²³). Ancum vero Marcium morbo perisse, neque Dionysius, nec Livius, nec ceteri sciunt; ex confusa memoria scribens, rebus inter se permixtis, sicut ad Hostilium Anci nomen, ita ad Ancum Hostilii morbum, videtur retulisse, quem Livius (I, 15, 16) et Plutarchus (Numa, 22), non Dionysius (III, 35) commemoravit.

²¹) Plutarchus, qui similia fere habet (Num. 22), oculis ejus animoque obversatus esse videri poterat, nisi ea rursus obstarent, quæ ab illo de Romulo (c. 2) et de tribus post Numam regibus trucidatis (22) referuntur; quanquam ea repugnantia apud Appianum non ita magni momenti est.

²²) In nominibus referendis ab Nostro peccatum sexcenties invenias; mendum autem ipsi Appiano tribuendum esse, verba, quæ sequuntur, satis produnt (καὶ Ἄγκου ἑτέρου, τοῦ καὶ Μαρκίου: et alterius Anci, qui et Marcius vocatur) Neque tamen negaverim hoc excerptum nonnihil defectu laborare: v. πατρικῶς vel simile quid ante βεβασιλευκῶς a librario fortasse prætermissum est; post v. ζῆσος numerus excidit annorum.

²³) De morte Romuli cfr. Niebuhr. I, p. 245.

III. Fragmentum apud Suidam. — *ΑΙΘΑΖΩ*.

Si locus integer Appiani est, hæc quoque e memoria scripsisse judicari debet. Apud Dionysium (II, 39, 40) duplex narratio est, Fabii Pictoris atque Pisonis Censorii, quorum uterque in aliis dissentiens scuta in Tarpeiam projecta esse tradidit; neque vero Livius discrepat, apud quem (I, 11), nullis auctoribus nomine citatis, eadem de Tarpeia fabulæ inveniuntur. Plutarchus autem (Rom. 17), alium ducem secutus, aurum et scuta simul in eam congesta prodit; idem Plutarchi compilerator Zonaras VII, 3. Quæ quum ita sint, Appianum a Plutarcho propius abesse videas. At hoc fragmentum utrum ad Appianum necne referendum sit, primum dubitari licet; deinde, quod locus, nisi ad notionem vocabuli explicandam, non adhiberi debuit, eo potuit fieri, ut partem sententiæ suo proposito alienam Suidas excluderet²⁴).

IV. Excerptum I. de Legationibus.

Quod ad bellum a Sabinis mulieribus compositum attingit, utrum Appianus Dionysii narrationem uberio²⁵) in brevius contractam paulo liberius in usum converterit atque ipse oratorem egerit, an in his rebus alium præterea scriptorem consuluerit, haud facile pro certo affirmaveris. Hersiliam, legationis principem, ab Dionysio commemoratam, quemadmodum Livius (I, 13), sic Appianus etiam silentio prætermisit; neque enim cum hac Hersilia confundenda alia est; quam Livius supra (c. 11) in simili causa commemoravit. Apud Plutarchum (Rom. c. 19) non prius Hersiliæ, quam post finitas preces, mentio fit. Res autem non ita magni esse momenti

²⁴) Cfr. Schweighæuser, annotat. ad h. I. p. 139.

²⁵) Cfr. Dionys. II, 44—47; it. supr. c. 30.

videtur. In precibus mulierum referendis Appiano cum Livio nonnihil similitudinis intercedere videas; in ceteris rebus Dionysio Noster similior est. Viam sacram, quo reges convenere, de qua Livius tacet, Appianus cum Dionysio communem habet: nomen vero ex illa re esse ductum, ipse ex suo ingenio addit. Plutarchus autem (l. c.), quem Zonaras (VII, 4) sequitur, pro sacra via comitium posuit, cui ab coeundo nomen inditum esse interpretatur.

V. Fragmentum apud Suidam. — *ΙΑΙΟΞΕΝΟΣ*.

Locus ad consilia Fidenatium Veientiumque pertinet, qui in Romanos et Albanos inter se belligerantes impetum facere constituerunt. Quæ ab Dionysio (III, 5—9) multis verbis commemorantur, ea Appianus in pauciora redegit. Dionysius autem (c. 8) Mettum narrat de illorum populorum insidiis ab hospitibus Fidenatibus (*παρά ξένων*) litteras accepisse; eas presenti Hostilio recitari atque ipsam rem ab eo, qui litteras pertulisset, uberius verbis exponi imperatorem Albanum jussisse; Appianus vero: imperatorem (Albanum) eam rem, quam ex privatis hospitibus (*παρ' ἰδιοξένων* ²⁶) comperisset, Hostilio renunciasse. De hac re Livius nihil habet; qui (I, 23) Mettum coram Hostilio de periculis minantibus alio modo loquentem fecit.

VI. Apud Suidam. — *ΒΛΑΣΦΗΜΩ*.

Hæc de Albanis dicta esse, Mettum Fuffetium convicio insectantibus, quod summa rerum tribus viris esset commissa, jam ex Liv. I, 27 et Dionys. III, 22,

²⁶) *Λισθάνεσθαι παρά τινι* pro *π. τινος*, vix quisquam dixerit, Schweighæus. *παρ' ἰδιοξένων* malit; equidem Dionysii v. *ξένων* respiciens scripturam apud Appian. *ἰδιοξένω* ex *ἰδιοξένων* corruptam esse conjicio.

23, satis intelligitur. Quanquam ad verba Livio Appianus similior est, nihil tamen obstat, quo minus illud Dionysii (c. 22) ὡς κακῶς ἐστρατηγηκότα suo Marte in eandem sententiam interpretatus esse existimetur. Schweighaeuser autem, qui "αὐτόν" falso ad Tullum Hostilium et tres illos viros ad Horatios retulerit, locos citavit his rebus alienos (Liv. I, 25; Dionys. III, 18. sqq.).

VII. Apud Suidam. — ΔΙΚΑΙΟΥΝ.

De pace cum Gabinis facienda Appianum non videas nisi Dionysii verba (IV, 54 fin.) variasse: Appian.: συμβάσεις ποιεῖν; Dionys.: ὁμολογίας ποιήσασθαι π. τ. Γαβ.; Appian.: ἐφ' οἷς ἂν Γάβ. δικαιοῶσιν; Dionys.: ἐφ' οἷς ἂν ἐκεῖνοι θέλωσι δ. Livius hanc rem omnino prætermisit.

VIII. Apud Grammaticum San-Germanensem, Bekk.

Anecd. p. 180, 15.

Fabulam illam de libris Sibyllinis Dionysius (IV, 62) refert, Livius omisit. Similia fere Dio Cassius narravit, (ut ex Tzetze ad Lycophront. Reimar. II. p. 1522, et ex Zonara VII, 11 est colligendum). Hæc in antiquis annalibus prodita esse Gellius dicit (I, 19).

IX. Fragmentum apud Suidam. — ΟΡΑΤΙΟΣ.

ΑΧΡΗΣΤΙΑ.

Appiano Dionysii narrationem (V, 24, 25) ante oculos fuisse, perspicuum est, sed quæ de vulneratione apud illum leguntur, studio rei variandæ parum, ut solet, accurate reddidit. Livius (II, 10), Plutarchus (Poplic. 16) nihil de Horatii sorte iniqua prodiderunt, quanquam hic vulnera ejus commemoravit; quod etiam ab Dione esse factum, ex l. XLV, 32 colligendum est²⁷).

²⁷) Reimar. I, p. 441: οὐ μὰ τὸ σκέλος τὸ Ὁρατίου.

Prorsus aliter Polybius (VI, 55), qui Horatium, ponte rescisso, vitam cum voluntaria morte commutasse narrat.

X. Apud Suidam. — ΠΡΟΣΗΣΕΣΘΑΙ.

De consulibus (P. Valerio & M. Horatio) Tarquinium in urbem recipere jussis Appianus²⁸⁾ Dionysium (V, 26, 27) secutus, sententiam illam "τὰ ὄρκια προὔτειναν" a superioribus Dionysii locis repetiit (V, I, καὶ ὄρκια τεμόντες κ. τ. λ; 21, αἰτιωμένης τ. β. — ὄρκους κ. τ. λ). De hac re neque Livius (II, 12), neque Plutarchus (Poplic. 17) quidquam prodiderunt.

XI. Excerptum Peirescianum²⁹⁾ de Virtut. et Vit.

Insigne documentum videas, qua ratione Appianus Dionysium compilaverit, non singulis ejus sententiis nisi alio transpositis et in breve contractis, verbis hic illic nonnihil variatis, quo variandi studio inductus haud raro ex Dionysii verbis falsam notionem effecit³⁰⁾. De Appio Claudio Regillensi h. l. agitur. Conferamus singula.

| Dionys. | Appian. |
|--|---|
| V, 40. — οἱ Σαβῖνοι — ἐψηφίσαντο Ῥωμαίοις πο- | Ταρκύνιος Σαβίνους κα- τὰ Ῥωμαίων ἠρέθιζε. |

²⁸⁾ Cfr. præterea Præfat. Appian. c. 6.

²⁹⁾ Si profecto hoc fragmentum, ut inscriptio in mser. exemplari præfixa indicavit, ex libro de Regibus excerptum est historiaque Romana eo libro usque ad mortem exulis Torquinii ab auctore fuit deducta, ubi luculentius invenias exemplum, qua arte historica Appianus in rebus disponendis usus sit!

³⁰⁾ Πελάτας h. l. δούλους interpretatur, sive ea, quæ Dionysius (II, 9) de clientium origine alioquin parum recte enarravit, ita intelligenda esse sibi persvasit, sive, id quod potius credam, eam Dionysii partem, ubi de rei publicæ institutis agitur, omnino neglexit, ut qui ad res bello potius, quam pace gestas animum ubique intenderet. Cfr. Præfat. c. 12.

Dionys.

λεμῖν, (ὡς λελυμένων σφί-
σι τῶν σπονδῶν, ἐπειδὴ
βασιλεὺς Ταρκύνιος ἐξέπυσε
τῆς ἀρχῆς, πρὸς ὃν ἐποιή-
σαντο τοὺς ὄρκους·) πει-
σθέντες ὑπὸ Σέξτου — Ταρ-
κυνίου — ὅς αὐτοὺς — ἐξε-
πολέμωσε.

Ἄνῆρ τις, ἐκ τοῦ Σαβί-
νων ἔθνους, πόλιν οἰκῶν
Ῥήγιλλον, (εὐγενῆς καὶ
χρήμασι) δυνατός. — Κλαύ-
διος, αὐτομολεῖ πρὸς Ῥω-
μαίους, συγγενεῖάν τε με-
γάλην ἐπαρόμενος καὶ φί-
λους καὶ πελάτας — οὐκ
ἐλάττους πεντακισχιλίων —.

Causa deinceps affertur, cur
Romam transfugeret: —
εἰς δίκην αὐτὸν ἐπῆγον αἰ-
τιασάμενοι προδοσίαν, ὅτι
— ἀντέλεγε τοῖς ἀξιοῦσι
τάς σπονδὰς λελυσθαι, καὶ
τοὺς ἑαυτοῦ πολίτας οὐκ
εἶα κυρία εἶναι τὰ δόξαντα
τοῖς ἄλλοις ἠγεῖσθαι ταύ-
την ὀρθῶν τὴν δίκην — fu-
git, ῥοπήν τε οὐ μικρὰν εἰς τὰ
πράγματα παρέσχε καὶ τοῦ
κατορθωθῆναι τόνδε τὸν
πόλεμον ἀπάντων ἔδοξεν

Appian.

Κλαύδιος δὲ, ἀνὴρ Σα-
βίνος, ἐκ Ῥηγίλλου πό-
λεως δυνατός, οὐκ εἶα τοὺς
Σαβίνους παρασπονδεῖν
ἕως, κρινόμενος ἐπὶ τῷδε,
ἔφυγεν εἰς Ῥώμην, μετὰ
συγγενῶν καὶ φίλων καὶ
δούλων πεντακισχιλίων.

Οἷς πᾶσι Ῥωμαῖοι χώ-
ραν εἰς οἰκίας ἔδοσαν, καὶ
γῆν εἰς γεωργίαν, (καὶ πο-
λίτας ἔθεντο: hoc suo

Dionys.

αἰτιώτατος γενέσθαι ἀνδ' ὦν ἢ βουλὴ καὶ ὁ δῆμος εἰς τε τοὺς πατρικίους ἀπὸν ἐνέγραφε, καὶ τῆς πόλεως μοῖραν εἶασεν — εἰς κατασκευὴν οἰκιῶν χώραν τ' αὐτῷ προσέδθηκεν — ὡς ἔχοι διανεῖμαι κλήρους ἅπασιν τοῖς περὶ αὐτόν ἄφ' ὦν καὶ φυλὴ τις ἐγένετο σὺν χρόνῳ, Κλαυδία καλουμένη, —.

Appian.

ingenio invenit). Τὸν δὲ Κλαύδιον καὶ ἐς τὸ βουλευτήριον κατέλεξαν, ἀποδεικνύμενον ἔργα λαμπρὰ κατὰ τῶν Σαβίνων καὶ φυλὴν ἐπώνυμον αὐτοῦ κατέστησαν.

Ceteri scriptores non nisi in rerum summa cum utroque consentiunt, in singulis partibus dissimiles, in quibus rebus Livius (II, 16) Appiano brevior, Plutarchus (Poplic. 21) Dionysio longior est et ab utroque in pluribus discrepat. Sabinum Appii nomen Livius et Plutarchus adjiciunt; numerum clientium Livius prætermisit, Plutarchus de quinque milibus familiarum loquitur; Livius cum Dionysio clientes (πελάτας), factionem (ἐταιρείαν) Plutarchus commemorat.

XII. Apud Suidam. — ΕΝΣΠΙΟΝΔΟΣ. ΠΑΡΕΣΙΣ.

Quæ de Latinis Romanos accusantibus h. l. Appianus prodit, ea ex Dionysii l. V c. 51 exscripsisse mihi videtur; quæ de Latinis bellum inferentibus apud Nostrum leguntur, ea ad Dionysii l. VI c. 3 referenda esse censeo, ubi pugna ad lacum Regillum commemoratur. Ad utrumque fragmentum Schweighæuser Dionys. l. V c. 61 parum commode laudavit; neque enim de parando bello (ut Latine convertit) sed de

gerendo h. l. dictum est. Livius (II, 19) Latinorum criminationes prorsus prætermisit.

Ex Appiani
Romanarum Historiarum Libro II.
De Rebus Italicis
Excerpta et Fragmenta.

In rebus a Gaio Marcio Coriolano gestis Appianum Dionysii compilatorem ubique agnoscas; quamquam Noster, verbis variatis sententiisque circumscriptis, eas res, quas excerpserit, nova specie induere studet.

Quod ad horum fragmentorum ordinem attinet, Schweighaeuser primo loco illud posuit, quod quarto demum ponendum esse mihi videtur.

I. Apud Suidam. — *ΑΠΑΞΙΩΝ*.

Quæ de repulsa Coriolani Appianus h. l. prodit ¹⁾,

¹⁾ Ὁ δὲ δῆμος — οὐκ ἐχειροτόνησεν. Notiones vv. δῆμος et βουλῆ Appianus ab Dionysio confundere probe didicit. Sicut enim δῆμος apud Nostrum nunc de populo, nunc de plebe, sic βουλῆ alias de patriciis, alias de senatu intelligendum est. Id genus exempla vid. Civil. I, (de plebis et patriciorum certaminibus, de secessionem plebis in montem sacrum facta; ibidem hujus loci oblitus consules dicit tunc ἀπὸ τῆς βουλῆς esse creatos, imo sua ætate id fieri dicere debebat); Ital. VIII, 2, IX; Samnit. VII, 3; Punic. 112; Civil. III, 55; II, 10, 100; IV, 96; I, 12 (ubi πλήθος et δῆμος promiscue adhibentur); all. Quæ quum ita sint, ne sane multum ei tribueris, siquando casu aut forte fortuna singulorum ordinum homines recte distinxit e. c. Cretic. VII, ubi πατριῖος, Samnit. I, ubi δημότης, Ital. IΔ, ubi ἐπατριδης recte adhibentur.

cum Dionysii narratione (VII, 21) consentiunt, quam ex aliqua parte Plutarchus etiam in usum convertit (Coriol. 13—16). V. *φρόνημα* de Coriolano Dionysius non illo quidem loco, sed alias sæpius usurpavit (VI, 92; VII, 34). De hac repulsa Zonaras quoque (VII, 16) Dionem secutus refert, Livius ignorat (II, 34).

II. Apud Suidam. — ΠΙΜΠΡΑΤΑΙ.

De Coriolano in exsilium abeunte Dionysium legas (VIII, 1). Idem fere Plutarch. (Coriol. 21), Liv. II, 35.

III. Apud Suidam. — ΑΛΛΑΞΑΜΕΝΟΣ.

Paucis verbis sententia reddita est orationis Coriolani apud Volscos, quam apud Dionysium legimus (VIII, 5—9). Hujus vero rei neque Livius (II, 39), neque Plutarchus (Coriol. 27) mentionem faciunt.

IV. Apud Suidam. — ΚΑΗΡΟΥΧΟΝ.

Quæ ab Appiano de bello Volscorum et de Romanorum colonis narrantur, ea referenda esse videntur ad Dionysii narrationem l. VIII, 9—21, ubi (c. 14) *κληροῦχοι Ρωμαίων* commemorantur. Dionysium Plutarchus quoque (Coriol. 27—30) sequitur, sed v. *κληροῦχους* non habet; neque ab illo Livius dissentit (II, 35, 39), sed multo brevius rem attigit.

V. Excerptum II de Legationibus.

Iam fragmentum sequitur et amplius et in primis dignum, cui aliquantum immoremur, ut et Dionysii narrationem ab Appiano compilatam esse eluceat et quo modo factum hoc sit, ante oculos ponatur. Coriolani autem bellum patriæ inferentis mentio est. Res apud utrumque singulas inter se conferamus.

Dionys.

VIII. 22. [ὡς] ὁ Μάρκιος — ἤγεν ἐπὶ τὴν Ῥώμην — καὶ τῆς πόλεως σταδίου τετραράκοντα ἀποσχὼν κατεστρατοπέδευσε, — συνέδραμον ἅπαντες — οἱ δημοτικοί, καὶ τοὺς πατρικίους ἐκάλουν εἰς τὸ βουλευτήριον καὶ εἰ μὴ προβουλεύσωσι τὰνδρὶ τὴν κἀθοδον, αὐτοὶ βουλευσεσθαι περὶ σφῶν αὐτῶν ἔφασαν ὡς προδεδομένοι.

Τότε δὴ (tum demum, cfr. c. 21 fin.) — οἱ πατρικιοὶ — ψηφίζονται πρεσβευτὰς πρὸς τὸν Μάρκιον ἀποστει-

Appian.

1. Τοῦ Μαρκίου — κατὰ Ῥωμαίων ἐκστρατεύσαντος, καὶ τεσσαράκοντα σταδίους ἀποσχόντος ἀπὸ τοῦ ἄστεος καὶ στρατοπεδεύσαντος, ὃ δῆμος ἠπείλει τῇ βουλῇ παραδώσειν τὰ τεῖχη τοῖς πολεμίοις, (eam sententiam Dionysii verbis subjicit) εἰ μὴ πρεσβεύσοιντο περὶ διαλλαγῶν πρὸς Μάρκιον (vid. Dionys. infr.).

Ἡ δὲ μόλις (ægre) ἐξέπεμψεν αὐτοκράτορας, [. . .] περὶ εἰρήνης Ῥωμαίοις πρεπούσης²⁾.

²⁾ Mea conjectura: quæ et ad sententiam apta est, et quam ipse locus corruptus svadet. Legebatur enim in mser. exemplari Ursini: εἰρήνην περὶ Ῥωμαίοις πεμπούσης, cui jam corrupto loco aliam corruptelam Ursinus, certe non medellam attulit. Ursini emendationem editores secuti „περὶ εἰρήνης Ῥωμαίους πρέσβεις” in contextu posuerunt, quorum verborum sententiam ineptam jam ipse vidit, quare facilima via inita in notis, ubi verba contextus repetiit, vocabulum Ῥωμαίους præteriit. Schweighæuser in mser. intercidisse aliquid putavit, quod ad illud Ῥωμαίοις referretur. De loci a me emendati sententia ad Dionysium provocabo, qui sæpius de pace, quæ populo Romano conveniret, mentionem hic fecit (VIII, 36, 37, 48, εἰρήνην ἀμφοτέροις τ. ἔθνεσι καλὴν κ. πρόπουσαν); et ad ipsum Appianum, cujus vv. cfr. infr. c. 2 „συνθησομένους τὰ πρόποντα”, tum ea, quæ de alterius legationis mandatis ibid. leguntur. At ne sic

Dionys.

λαι πέντε ἄνδρας — περὶ
 διαλύσεώς τε καὶ φιλίας
 διαλεξομένους ἦσαν δὲ ἄν-
 δρες — ὑπατικοί·

Appian.

quidem locus mihi videtur satis in integrum esse restitutus, sed quid porro medelæ sit afferendum, incertus hæreo cod. auxilio destitutus. Quid enim significat illud *αὐτοκράτορας*? Hominesne dicam plena potestate instructos? quæ significatio verbi nusquam, nisi fallor, apud Nostrum invenitur. Nescio an potius de imperatoribus accipiendum sit, quo significatu hoc verbum sæpius ab Appiano usurpatur (Præfat. 6, Civil. II, 87, al.); nec tamen placet sic nude positum, quare Dionysium respiciens (VIII, 22) *πέντε ἄνδρας* aut simile quid exidisse crediderim. Quod autem illud Dionysii *ὑπατικούς* Appianus *αὐτοκράτορας* interpretatus esse videtur, non miror sane, quum studium ejus rerum nominumque variandorum mecum considero; et quod *αὐτοκράτορας* viros fortassè intelligi voluit, qui imperatores fuissent, nihil certe difficultatis habet, ut qui viros consulares consules, prætorios prætores, tribunicios tribunos vocaverit: vid Civil. IV, 13. Quin ipso hoc loco (infr. 3) eosdem homines, quos Dionysius in superioribus *ὑπατικούς* vocavit, Noster *ὑπάτους* nominat. In his rebus sive incuria sive ignorantia mirum quantum laborat. Quamquam enim vv. *δικτάτωρ, ἀνθύπατος, στρατηγός* hic illic ab eo adhibentur, haud raro tamen v. *ὑπατος*, quo plerumque consulem significat, sicut in consularem, sic in illas quoque dignitates transferre solet. Idem in *ἱπατεία* et *ὑπατος ἀρχή* valet. Ut exempla afferam, Gall. V *ὑπατος ἀρχή*, quod apud Dionys. XIII, 11 de consulatu, apud Nostrum de dictatura accipiendum est; paulo infra (XIII, 17) Dionys. dictatorem Græce interpretatur *ἡγεμόνα πολέμου καὶ εἰρήνης ἐξουσίαν ἔχειν αὐτοκράτορα*; Civil. I, 103, quindecim illi *ὑπατοι* consulares, consules, proconsules una sunt intelligendi; Italie. V, 3, Sicul. II, 1, *ὑπατος*, consularis; Civil. II, 87, IV, 13, *ἄνδρες ὑπατοι*, consulares; Hispan. 83 *ὑπατεία*, dignitas proconsularis; Hannibal. 48, *ὑπατος*, proconsul; Hispan. 42 *ὑπατος*, prætor.

Jam Appianus narrationis deinceps Dionysii copiam brevi circumscribit, verba et sententias ex diversis apud illum orationibus excerptas atque huc illuc transpositas varie in usum convertit.

Dionys.

Legatio prima.

VIII, 22: *ὡς δ' ἀφίκοντο ἐπὶ τὸ στρατόπεδον*, — Minucius ad Marcium orationem habuit (23—29): cfr. 23, 24: *τίνος οὖν ἡμεῖς οἱ πατρίοι τῶν συμβεβηκότων κακῶν γεγόναμεν αἰτιοί; 25: ἃ δὲ ὑποτίθεσθαι σοι — καὶ ὑπισχνῆσθαι διαλλαττομένῳ π. τ. π., ταυτί· — ὑπάρχει δέ σοι — καταλύσασθαι τὸν πόλεμον — κάθοδον κ. τ. λ.* Cfr. 50 (in oratione matris): — *πρέσβεις φέροντας σοι τῶν τ' ἐγκλημάτων ἄφρασι καὶ κάθοδον κ. τ. λ.*

VII, 29: — *τοῖς δ' ἄλλοις Ῥωμαίοις ἀπέχθομαί κ. τ. λ.* 32: — *ἐγὼ πολέμιος ἐγενόμην τ. Οὐολούσκοις καὶ πολλὰ ἠδίκησα αὐτούς κ. τ. λ.* 35. — *οὐ μὴν ἀλλὰ — τάδε ἀποκρίνομαι ἐὰν ἀποδιδῶσι Ῥ. Οὐολούσκοις χώραν — πόλεις — κ. ἰσο-*

Appian.

Οἱ παρελθόντες ἐς τὸ Βολούσκων ἀκροωμένῳ προὔτειναν ἀμνηστίαν καὶ κάθοδον, εἰ καταλίσει τὸν πόλεμον, τῆς τε βουλῆς αὐτὸν ὑπερίμνησκον, ὡς οὐχ' ἁμαρτούσης ἐς αὐτόν.

Ὁ δὲ πολλὰ τοῦ δήμου κατηγορήσας, περὶ ὧν ἐς αὐτὸν καὶ Βολούσκους ἐξημαρτήηεσαν, (injuriā scilicet Coriolano et Volscis illatam mirum in modum Appian. confundit; vid. Dionys.), ἐπήγγελλε ὅμως, Βολούσκους αὐτοῖς διαλλάξεν·

Dionys.

πολιτείας μεταδώσουσιν ὡς
Λατίνοις — διαλύσομαι
 πρὸς αὐτοὺς τὸν πόλεμον·
 — καλὸν τοι τὰς ἰδέας ἕκασ-
 τον ἔχοντα κήσεις ἐν εἰ-
 ρήνῃ ζῆν· — αἰσχροὺν δὲ
 τῶν ἀλλοτρίων περιεχομέ-
 νους κ. τ. λ. — προστίθετε
 κ. τ. πόλεις τῶν ἡδικημένων
 π. β. ἐὰν μὴ κρατῶσι —
 Τούτων οὐθὲν — πλίον —
 ἄπιτε καὶ σκοπεῖτε ὅ τι
 πρακτικόν — ὀδωμι χρόνον
 — ἡμερῶν τριάκοντα κ.
 τ. λ.

VIII, 36. — ἦγεν ἐπὶ
 τὰς λοιπὰς τ. *Λατίνων*
 πόλεις. — γενόμενος δ' ἐν
 ἡμέραις τριάκοντα πόλεων
 ἑπτὰ κύριος, ἦκεν — (τὰς
 ἀποκρίσεις ληψόμενος c.
 35 fin.)

Quæ verba infra apud Appianum leguntur, frigidam certe sententiam exhibent. Primo ille quidem aspectu aliquid novi adjecisse videtur, sed si rem diligentius examinaveris, Nostrum videas, loco illo Dio-

Appian.

ἂν — γῆν — πόλεις ἀπο-
 δῶσι κ. ποιήσονται πολί-
 τας³⁾, ὥσπερ *Λατίνους*
 ἕως δ' ἂν ἔχωσι τὰ τῶν
 κρατούντων ὀικρατούμενοι,
 οὐχόρῳ, τίνες αὐτοῖς ἔσον-
 ται διαλύσεις (Dionysii
 sententiæ brevissime con-
 tractæ et paulo liberius
 redditæ). Ταῦτα μετοίσον-
 τας ἀπέλυε τ. πρόσβεις κ.
 τριάκοντα ἡμέρας εἰς τὴν
 σκέψιν ἐδίδου.

2. Τραπείς δ' ἐπὶ τοὺς
 ἄλλους *Λατίνους*, ἑπτὰ
 πόλεις αὐτῶν εἶλε τ. τριά-
 κοντα ἡμέραις. καὶ ἦκεν
 ἐπὶ τὰς ἀποκρίσεις.

³⁾ Dionysius ἰσοπολιτεία et πολιτεία, ἰσοπολίται et πολῖται promiscue adhibet; idem ab eo Appianus didicit apud quem ἰσοπολίται πόλις et πολῖται πόλις nihil differunt (Civil. I, 10; I, 65). Ceterum de isopolitia vid. Madvig. Opusc. I. p. 223. sqq.

nysii (c. 36 fin.), ubi a patribus, quid consilii capiant, deliberatur, festinanter perlecto, in mirum incidisse errorem rerumque ordinem plane pervertisse, ut qui priorem illam deliberationem de responso reddendo in responsum mutaverit vere datum atque legatos denuo ab Romanis missos finxerit, quorum postulata Marcio non probarentur.

Dionys.

VIII, 36 (fin. Quo tempore Coriolanus urbes Latinorum cepit, Ῥωμαίοις — πολλὰ βουλευσαμένοις ἔδοξε μηδὲν ἀνάξιον ποιεῖν τῆς πόλεως, ἀλλ' ἐὰν αὐτῶν ἀπέλθωσιν ἐκ τῆς χώρας Οὐλοῦσκοι — καὶ πρέσβεις ἀποστείλωσι τοὺς διαλεξομένους περὶ φιλίας, tum senatum populumque Romanum, quibus æquis conditionibus pax concilietur, una decreturum.

Legatio altera.

VIII, 37. — πρεσβευτὰς ἑτέρους — δέκα ἄνδρας ἐκ τῶν ὑπατικῶν (patres delegerunt) τοὺς ἀξιῶσοντας τὸν ἄνδρα μηδὲν ἐκφέρειν ἐπιτάγμα βαρὺ, μηδ' ἀνάξιον τῆς πόλεως, ἀλλὰ — πειθοῖ καὶ διὰ λόγων συμ-

Appian.

Οἱ δὲ ἀπεκρίναντο (responderunt), ἐὰν ἐκ τῆς Ῥ. γῆς ἀπαγάγη, τ. στρατὸν, πέμψειν τοὺς συνθησομένους αὐτῷ τα πρέποντα. Πάλιν δ' ἀντειπόντος (rursus legati mittuntur). De legatis ab hoste mittendis apud Dionysium sermonem esse, non animadvertit.

— ἔπεμπον ἑτέρους δέκα δεησομένους μηδὲν ἀνάξιον ποιεῖν τῆς πατρίδος, μηδ' ἐξ ἐπιτάγματος, ἀλλ' ἑκουσίους, ἕῃν γίνεσθαι τὰς συνθήκας· αἰδούμενον τε τὴν πατρίδα, καὶ τὸ τῶν προγόνων ἀξίωμα τιμῶντα,

Dionys.

βατηρίων — πειραῖσθαι — εἰ βούλεται — ποιήσασθαι ὁμολογίας — . Οἱ — πρέσβεις — πολλὰ ἐπαγωγὰ διελέγοντο, φυλάττοντες — τὸ ἀξίωμα τῆς πόλεως. — Ὁ δὲ *M.* ἄλλο μὲν οὐδὲν ἀπεκρίνατο, συνεβούλευσε δὲ κρεῖττόν τι βουλευσαμένους ἤκειν τριῶν ἐντος ἡμερῶν.

Legatio tertia.

VIII, 38. Sperantes, fore, ut Marcii animus flecteretur, εἰ τιμιωτέρα πρεσβεία δεηθεῖεν αὐτοῦ, — ἱερεῖς miserunt — τὰς ἱεράς ἀμπεχομένους ἐσοθῆτας — τοὺς αὐτοὺς φέροντας τοῖς προτέροις λόγους. — οὐδὲ τούτοις ἔδωκεν ὁ *M.* ἀποκρισιν — ἀλλ' — τὰ κελευόμενα ποιεῖν συνεβούλευεν — καὶ τὸ λοιπὸν ἀπειπε μὴ διαλέγεσθαι πρὸς αὐτόν. Hoc responso relato, Romani ὡς πολιορκησομενοὶ παρεσκευάζοντο, militibus dispositis ἐπὶ τοῖς τεύχεσιν.

Appian.

(sententias ab Dionys. 36, fin. mutuatur) τῶν ἐς αὐτόν οὐχ ἁμαρτόντων (quod, tanquam exemplum τῶν πολλ. ἐπαγωγῶν apud Dionys., suo ingenio invenit). — Ὁ δὲ τοσοῦτον αὐτοῖς ἀπεκρίνετο τριῶν ἄλλων ἡμερῶν ἤκειν βουλευσαμένους τι κάλλιον.

Οἱ μὲν — τοὺς ἱερείας ἐπεμπονταῖς ἱεραῖς ἐσοθῆσιν ἐσταλμένους, ταυτὰ τ. *M.* δεησομένους Ὁ δὲ καὶ τούτοις ἔφη, δεῖν ἢ τὰ κελευόμενα ποιεῖν ἢ μηδ' ἂν ἀφικνεῖσθαι πρὸς αὐτόν. — Ἐξ οὖν πολιορκίαν καθίσταντο καὶ τ. τεῖχος ἐπλήρουν λίθων καὶ βελῶν ὡς ἄνωθεν ἀμυνόμενοι *M.* Rem ad extremum nonnihil variatam suo Marte exornavit.

Dionys.

Legatio quarta.

VIII, 39. — Οὐαλερία
 — Ποπλικόλα — ἀδελφή
 — προσκαλεσαμένη τὰς ἀ.
 γυναῖκας — λέγει πρὸς
 αὐτὰς ταύτην ἔχουσαι τ.
 πιναράν τ. καὶ ἄκοσμον
 ἐσθῆτα καὶ τὰς ἄλλας
 παραλαβοῦσαι γυναῖκας,
 καὶ τὰ τέκνα ἐπαγόμεναι,
 βαδίζωμεν ἐπὶ τὴν Οὐετου-
 ρίας, τ. Μαρκίου μητρὸς
 οἰκίαν καὶ δεώμεθα —
 προελθεῖν ἐπὶ τὸν χάρακα
 τ. πολεμίων ἄγουσαν τ. τ.
 νύωνους καὶ τ. μητέρα αὐ-
 τῶν (Οὐολουμνίαν), καὶ
 ἡμᾶς ἀπάσας κ. τ. λ. —
 ἔπειτα ἰκέτιν γενομένην
 τοῦ τέκνου (Μαρκίου) —
 δεῖσθαι μηδὲν ἀνήκεστον
 κατὰ τῆς πατρίδος ἐξεργά-
 σασθαι. Adde capp. sqq.
 ubi Volumnia illis adjun-
 gitur atque res a Valeria
 proposita quomodo acta sit,
 narratur usque ad init. c.
 43. — c. 43 — προσ-
 ἠγγειλαν τὰ γενόμενα τοῖς
 ὑπάτοις· οἱ δέ — συνεκά-

Appian.

3. Βαλερία δὲ, Ποπλι-
 κόλα θυγάτηρ, πολλὰς
 ἄγομένην γυναῖκας ἐπὶ τ. τ.
 μητέρα τ. Μαρκίου Βετου-
 ρίαν καὶ ἐπὶ τ. γυναῖκα
 Βολουμνίαν πένθιμα ἡμ-
 φρεισμέναι πᾶσαι καὶ τ.
 παιδιά ταῖς ἰεσίοις ἐπι-
 φέρουσαι, συνεξελθεῖν αὐ-
 ταῖς πρὸς Μαρκ. ἠξίουον αὐ-
 τας, κ. δεηθῆναι φείσασθαι
 σφῶν τε αὐτῶν κ. τῆς πα-
 τρίδος. Αἱ μὲν — τῆς βου-
 λῆς ἐπιτροπούσης, ἐξήεσαν,
 μόναι γυναῖκες, εἰς ἐχθρῶν
 στρατόπεδον. His paucis
 verbis immanem illam nar-
 rationis Dionysii copiam
 circumscripsit, singulas res
 inde mutuatus. Incuria au-
 tem factum est, ut pro
 Poplicolæ sorore (Dionys.
 VIII, 39; Plutarch. Coriol.
 33) filiam poneret, quam
 inter obsides Porsenæ da-
 tos, velut ab Dionys. (V,
 32) et Plutarch. (Poplic.
 18, 19), sic etiam ab Nostro
 supra commemoratam fu-

Dionys.

λουν τὴν βουλὴν περὶ τ. ἐξόδου τ. γυναικῶν — ἐνίκα — ἡ συγχωροῦσα γνώμη τ. γυναιξὶ τὴν ἐξοδον. Infr. c. 44. ἄτερ ἀνδρῶν φυλακῆς (= μόναι γ. apud Appian).

VIII, 44. Ὁ Μάρκιος — quum Romanæ matronæ venire nuntiarentur, πρῶτον μὲν ἐθαύμασε τ. τολμῆς τ. γυναικας — ἐπεὶ δ' ἀγχοῦ ἦσαν, ὑπαντιᾶν τ. μητρὶ προελθὼν ἔγνω — τοὺς τ. πελέκεις — ἀποθίσθαι — καὶ τ. ῥάβδους, ὅταν ἐγγὺς γένηται τ. μητρὸς, καταστείλαι. κ. τ. λ. Adde ex magna copia c. 45. —

M -- ὄχετο — ἠοπάζετο (init. c.); λέγειν ἐκέλευσε, τίνος δεομένη πάρεστιν (med.); ἔπειτα π. τ. ἐπιφανεστ. τ. τ. ἡγεμόνων κ. τ. λ. — λέγειν (extrem.).

Appian.

isse, veri saltem simile est.

Ὁ — Μάρκιος, θαυμάζων τ. εὐτολμίας τ. πόλιν, οἷα Ῥωμαίων ἐστὶ καὶ τὰ γυναῖκα, προσιούσαις ἀπήντα. καὶ τ. ῥάβδους καθήρει κ. τ. πελέκειας διὰ τὴν μητέρα προσδραμών τε ἠσπάζετο, καὶ ἤγεν ἐπὶ τὸ συνίδριον τ. Βολούσων κ. λέγειν ἐκέλευσεν ὅτι χορήζοι.

Jam vero videas, quomodo Appianus, rebus et sentiis, quas e diversis Dionysii locis furatus sit, ad libidinem conjunctis neque nisi alia ratione dispositis,

furtum sic obscuratum iri speraverit. Priorem scilicet matris orationem ad filium ita conscripsit, ut sententias partim ex colloquiis mulierum apud Dionysium superioribus (VIII, 39–44) prioreque apud eundem (c. 46) matris oratione mutuaretur; partim eas ex altera oratione matris apud Dionys (48–54) exciperet, quam totam fere in suam priorem adhiberet; partim ex Minucii legati verbis ad Coriolanum factis, quæ apud Dionys. supr. 23–29 leguntur, unum et alterum compilaret. Quæ quum ita sint, responsum tamen Coriolani, quod apud Dionys. (c. 47) ante alteram orationem matris invenias, Appianus, quanquam ordinem rerum perturbavit, nihilo minus in usum convertit, additis præterea aliis Dionysii verbis et sententiis, quas ex oratione Coriolani apud Volscos (c. 7), ex responso ejus ad Minucium (24, 25), aliunde, videtur sumpsisse. Matrem ab filio interpellari Dionysius fecit, filium a matrè Appianus, quod nimirum facere coactus est, ut ordo rerum Dionysii a Nostro perturbatus ad extremum in integrum restitui posset. Rebus autem ita dispositis, quum jam, ut supra dixi, majorem partem sententiarum, quas altera oratio contineret, in suam priorem convertisset, haud ita multum Nostro relictum est, quod ex illa in alteram suam transferre commode posset; quo factum est, ut ipse oratorem agere et unum aliquid ex superioribus locis Dionysii in usum adhibere cogeretur, id puta, quod de Sabinis mulieribus Valeriam prædicantem audias (Dion. c. 40). Reliqua vero, quæ apud Nostrum deinceps leguntur, haud per ambages ab Dionysio descripsit, singulis verbis sententiisque paullum mutatis et in brevius contractis. Longiores in his rebus sumus, ne quis Appianum ea, in quibus ab Dio-

nysio discederet, ex aliis fontibus putet hausisse. Sed videamus singula.

Dionys.

Appian.

4. Ἡ δὲ, συναδικεῖσθαι, ἐξελαυννομένου⁴) τῆς πόλεως οὕσα μήτηρ, ἔφη ὄραν δ' ὅτι Ῥωμαῖοι κ. τ. λ. ο: Illa vero dixit, se quoque, quæ mater urbe expulsi esset, simul cum ipso injuriam pati, sed videre, Romanos jam satis poenarum dedisse, cett: —

Hæc cogitatio facile animum Appiani orationem incipientis subire debebat, vel quum Veturiæ verba apud Dionys. (c. 46) legeret vel superius responsum Coriolani respiceret (c. 29: αἰσχρῶς ἐξήλ. ἐκ τ. πατριδ. οὔμητέρα αἰδεσθέντες ἐμὴν κ. τ. λ.), vel alia similia (cfr. VIII, 40—47; 52). —

⁴) Mea conjectura: corruptela certe inest in v. ἐξελαυννομένη, quod MSS. et Edd. habent. Sententiam Schweighaeuser (III, p. 146) expedire ille quidem conatur, sed interpretatio ejus absurda est et cum iis pugnat, quæ ab Nostro et supra et infra traduntur. Participium illud ἐξελαυννόμενος eodem explicandum esse modo videtur, quo ὀφειγών, οἱ οἰχόμενοι, alia; vid. Madvig. Syntax. Græc. p. 210.

Dionys.

VIII, 50. — οὐχ' ἱκανὰς εἰσπέπραξαι παρὰ τῶν ὑβρισάντων τὰς δίκας, μηλόβοτον πεποιηκὼς γῆν αὐτῶν κ. πόλεις διαπεπορθηκὼς —; cfr. 25: οὐχ' ἱκανὰς ἤδη — δίκας — τοσοῦτον φόνον ἀνθρώπ. τοσαύτ. χώραν, — τοσαύτ. πόλεις —; c 50. καὶ — πεμφθέντας ὑπὸ τ. βουλ. πρέσβεις (22) φέροντάς σοι τῶν τε ἐγκλημάτων ἄφρσις καὶ κἀθοδον — τοὺς ἱερεῖς —; porro cfr. sententias infr. verbb. παραιτήσεις — καὶ τὸ καταφυγεῖν ἐπὶ τοὺς ἠδικημένους τὸ ἀδικοῦν ταπεινόν.

Operam Appiano ad scribendum præbuerunt partim doctrina matris de deorum placabilitate (c 50), partim Minucii legati interrogationes (supr. c. 24), partim admonitiones de ca-

Appian.

ὄρα γὰρ ὅτι Ῥωμαῖοι πολλὰ πρὸς αὐτοῦ πεπόνθασιν ἤδη, κ. τίσιν ἔτ. ἱκανῆν ὦν χώρα τ. τοσαύτη διέφθαρται, κ. πόλεις ἀπολώλασι, πολλαί· καὶ τὸ Ῥωμαίοις ἔσχατον, παρακαλοῦσι κ. πρέσβεις πέμπ. ὑπάτους κ. ἱερέας, (κ. μητέρα κ. γυναῖκα ipse addit); τὸ τ. ἀδίκημα ἰῶνται ἀμνηστία κ. καθόδω. Quæ omnia ex Dionysii verbis et sentiis paulo liberius usurpatis composuit.

Σὺ δὲ μὴ ἀνιάτω⁵⁾ κακῷ τὸ κακὸν ἰῶ· μὴ δὲ συμφοραῖς ἐπιχειρεῖ κοιναῖς αὐτοῦ τε σοῦ καὶ τῶν ἀδικουμένων⁶⁾. Ποῖ φέρων οἷσις τὸ πῦρ; μ. τ. χώραν πόλιν — ἐστίαν — ἱερά·

⁵⁾ ἀνιάτος respondet τὰ ἀνήκεστος, quod ab Dionysio crebro usurpatur (VIII, 39, 52 al).

⁶⁾ Mallem cum Schweighaeusero ἀδικούντων; illa enim interpretatio „quibus vis a te infertur“ videtur in hac sententia aliquid duri habere.

Dionys.

lamitatus futuris (27, 28);
adde fin. c. 50 et init. c. 51.

VIII, 47. Matris orationem Coriolanus, patriæ nomine audito (c. 46 fin.) interpellat: ἀδυνάτ. — τοῖς ἐκβαλοῦσι τοὺς ὑποδεξάμενους κ. τ. λ. (init. 47); quibus similes adde locos c. 7 med. (πατρίδα δ' ἡγοῦμαι ὅν τὴν ἀπαρνησαμένην κ. τ. λ.) et c. 34 (ab init. ad. med ὅταν δὲ φίλ. — συμφέρον)

VIII, 47. — ὄις ἐγώ, τὴν ἀρχὴν τήνδε παραλαμβάνων, θεοὺς κ. τ. λ. et infr. θεοὺς τ. σεβόμενος, οὓς ὄμοσα κ. ἀνθρώπους, οἷς τ. πίστεις ἔδωκα. Adde c. 32 (a med. fere ad fin.) unde Appian. illa exscripsit. οὗτοι δὲ — πολιτείαν ἔδοσαν μοι — στρατηγὸν ἀποδείχασί με — κ. πάντα τὰ κοινὰ ἐπ' ἐμοὶ πεποιθήκασι — Rursus cfr. c. 47 (sub. fin.) ἀλλὰ παρ' ἐμοὶ γενομένην — τοὺς αὐτοὺς ἡγουμένην φίλους κ. πολεμίους, οὓσπερ ἐγώ.

Appian.

δὸς χάριν — παρακαλοῦσαις.

Coriolani responsum:

οὐκ εἶναι πατρίδα τὴν ἐκβαλοῦσαν, ἀλλὰ τ. ὑποδεγμένην οὐδὲν γ. ε. φίλιον, ἂν ἀδικῇ, οὐδέ ἐχθρὸν, εὖ ποιοῦν.

καὶ τὸ τῶν παρόντων ἐκέλευσεν ὄραν, πίστιν τε δόντων αὐτῷ κ. λαβόντων κ. πολίτην πεποιημένων, κ. στρατηγὸν ἀποφηνάντων κ. τ. ἴδια ἐπιτρεψάντων. Τιμᾶς τε, ὅσων ἠξίωτο, κ. ὄρκους οὓς ὄμοσεν αὐτοῖς, ἐπεξήει· καὶ παρεκάλει τ. μητέρα τοὺς αὐτοὺς ἐκείνοις τίθεσθαι πολεμίους κ. φίλους.

Post hanc rerum dispositionem, qua colloquiorum ordinem, qui apud Dionysium est, plane convertit, ad extrema facta et verba matris filium interpellantis exponenda illius scriptoris auxilio ita usus est, ut pauca quædam ex orationis parte extrema apud illum c. 53 decerpta suo ingenio exornaret et exemplo illo ab Sabinis mulieribus arcessito augetet, quod ex alio Dionysii loco (c. 40) sumptum ad has res accommodavit.

Dionys.

VIII, 53. Ἐὰν δὲ προπηλακίσης τὴν σεαυτοῦ μητέρα κ. τ. λ. — βαρεῖαν ἀρὰν κ. τ. λ. — ᾧ θεοὶ τῆς Ῥωμαίων φύλακες ἡγεμονίας — εἰ δὲ ὁσιόν ἐστι κ. θεμιτὸν υἱοῦ γόνασι προκυλίεσθαι μητέρα, καὶ τοῦτο — ὑπομενω — . adde c. 40 (sub. fin.) ἐκείνων — ἔγγονοι τ. γυναικῶν αἰ-τ. πρὸς Σαβίνους πόλεμον — πρεσβευσάμεναι διελύσαντο.

VIII, 54. Ταῦτα εἰποῦσα ἔρριψεν ἑαυτὴν χαμαὶ.

Appian.

5. Ἡ δὲ — ἀγανακτήσασα κ. τ. χεῖρας ε. τ. ο. ἀνασχοῦσα θεοὺς γενεθλίουσ⁷⁾ ἐμαρτύρατο — δύο — πρεσβείας γυναικ. — ἐπὶ Τατίου κ. τ. λ. — Ἄλλη — μηδεμία μήτηρ εἰς ἀνάγκην ἀφίκοιτο προσπεσεῖν — ἐγὼ δὲ καὶ τοῦτο ὑφίσταμαι προκυλίσομαι σου.

Καὶ λέγουσα εἰς τὸ ἔδαφος ἑαυτὴν ἔρρίπτει. Ὁ δὲ

7) Vv. „θεοὺς γενεθλίουσ” non cum Schweighausero et cett. interpret. de Diis Natalibus interpretor, sed Dionysii c. 53 respiciens (θεοὶ τῆς Ῥωμαίων φύλακες ἡγεμονίας), Deos Penates intelligi volo, quæ interpretatio ab ipso Dionysio sustentatur (I, 67), ubi de variis nominibus agitur, quæ interpretes ad Penates Græce vertendos adhibere solent.

Dionys.

— αὐτὸς δὲ ὁ Μ. ἀναλό-
μενος — ἀνίστησιν αὐτὴν
— καὶ — ἐγγείας δάκρυα
εἶπε· νικᾶς, ὦ μῆτερ —
νίκην, — υἱὸν ἀπολώλεκας.

Appian.

ἑδάκρυσέ τε καὶ ἀνεπήδα,
καὶ ἀντείχετο αὐτῆς κ. —
ἐξεφώνησε· νικᾶς, ὦ μῆτερ·
ἀλλὰ νίκην ἐξ' ἧς⁸⁾ τὸν
υἱὸν ἀπολείς.

Jam vero, postquam legationes, quod caput hujus excerpti est, ad finem sunt perductæ, reliquis deinde, quæ de Marcio Appianus paulo uberius narravit, in pauca verba contractis, in eundem fere modum, atque similia e Dionysii libris excerpta desinunt⁹⁾, hanc quoque eclogam desinere videas. Appianum autem in reliquis his rebus Dionysii narrationem ita secutum esse, ut verbum fere e verbo exprimeret, quum ex ipso hoc loco, tum e fragmento quodam Suidæ intelligitur, quod paulo infra afferemus. Quæ sequuntur verba, partim iis respondent, quæ apud Dionysium ante ipsam rem actam deliberantur, partim ex iis exscripta sunt, quæ de Attii Tulli invidiâ et cæde Coriolani deinceps narrantur.

Dionys.

VIII, 54. Ταῦτα εἰπὼν
(nunc deliberatio cum matre neque vero ipsa profectio sequitur) — αὐτὸν δ.
τὴν στρατιὰν ἀναστήσαντα
— ὑποσχόντα, δ. τῆς ἀρχῆς
λόγον — ἀξιοῦν — συν-

Appian.

Ταῦτα εἰπὼν, ἀπήγεν
τὴν στρατιὰν, ὡς λόγον
ἀποδώσων Βολούσκοις, καὶ
τὰ ἔθνη συναλλάξων.

⁸⁾ ἐξ ἧς cum Tyrwhitto lego, quum vulgo ἐξεῖς editum sit; quam correctionem jam scriptura ἐξῆς, quæ in MS. Ursini erat, videtur suadere.

⁹⁾ Vid. D. XIII, 8.

θήκας ποιήσασθαι — C. 57.

ὁ Μ. ἀνασιήσας τ. στρα-
τιὰν ἀπῆγεν — Deinde de
Attii Tulli invidia et po-
stulatis dicitur τὸν φθόρον
οὐ δυναμένου κατέχειν.

C. 58. Ὁ δὲ Μάρκιος
ἀντιλέγειν μὲν πρὸς
οὐδέτερον τούτων ἐδι-
καίου Ὁ δὲ Τύλλος — εἰ-
δώς, ὅτι δ. ε. ἀνῆρ — πεί-
σει τὸ πλῆθος — C. 59. —
αὐτὸν — συναράττοντες
τοῖς λίθοις ἀποκτιννύουσιν.

(Ὁ δὲ Μάρκιος ἀντι-
λέγειν μὲν πρὸς οὐδὲ
ἐν αὐτῶν ἐδικαίου¹⁰).
ἐλπίς τε ἦν, ὅτι καὶ ταῦτα
πέσει Βολούσκους· κατε-
λεύσθη δὲ φθονοῦμενος
παρὰ τοῦ στρατηγοῦ Ατ-
τιδίου¹¹).

¹⁰) Suidas in v. Ἐδικαίου post alium locum ex Appiano citatum hæc habet, ἀνθις Ὁ δὲ Μάρκιος ἀντιλέγειν, cett., quæ verba utrum ad Marcium Coriolanum, an ad Marcium Philippum (Macedonic. XII; XV) essent referenda, Schweighæuser in annotatione quadam suo exemplari ascripta dubitavit; nimirum quod neque illum Dionysii locum (VIII, 58) cognitum habuit, neque Appianum Dionysii compilatorem ne cogitare quidem potuit. De annotatione illa vid. Didot in Præfat. p. 2.

¹¹) Pro vulgato Ἀτιδίου Schweigh. Ἀτιδίου posuit, ex quo illud proxime corruptum esse apparere dicit. Attius Tullius ab Livii (II, 35, 39) et plerisque Dionysii editoribus (VIII, 1, 67) ille Volscorum dux vocatur. At apud Dionys. (VIII, 67) in editione Stephani et in probato alias Cod. Vatican. quum ibi, tum alibi (VIII, 1) Ἀτιδίου scriptum esse monuit Hudsonius, quam scripturam apud Appian. quoque Schwgh. secutus est, non quod eam veriore putaret, sed quod proxime abesset a corrupti MS. lectione; imo potius diceret, illud nomen cum Dionysio Appianum compilatorem commune habuisse. Ceterum Dionysius in nomine peccaverit, necne, alia quæstio est. Ex nomine Ἀτιδίου haud dubie etiam Ἀμπίδιος apud Plutarch. (Cor. 22) corruptum est, qui Dionysium ducem habuit.

De Coriolano lapidibus obruto Appianum videas cum Dionysio omnino consentire, reliquos scriptores, quos hic comparari opus fuerit, omnes tacere; Fabium vero, quem Dio secutus est (vid. infr.), de sorte Marcii suprema longe etiam aliter prodidisse. Livius enim (II, 40), aliis alio leto Coriolanum oppressum narrantibus, hæc de Fabio scribit: "apud Fabium, longe antiquissimum auctorem, usque ad senectutem vixisse eundem invenio; refert certe, hanc sæpe eum exacta ætate usurpasse vocem: multo miserius seni exilium esse". Quam Fabii discrepantiam Dionysium ne uno quidem verbo attigisse, memorabile sane est, nam quod Appianus Dionysii vestigiis ingressus omnino tacet, non mirandum; neque vero Fabium usquam, nisi ab aliis laudatum, cognitum Nostro fuisse, facile quis probaverit. Antequam rei propositæ finem fecero, reliquos scriptores, quos comparari hic ad rem pertinet, paucis verbis commemorabo. Livius (II, 35, 41) in his rebus plura cum Dionysio communia habet, at similitudo utriusque omnino alia est, quam quæ Appiano cum Dionysio intercedit. Alia diversa sunt (oratio matr.), alia prætermissa (orationes pleræque, fasces securesque remotæ, al.). Plutarch. (Coriol. 30 — fin.) multa e Dionysio exscripsit, quem etiam nomine laudavit (Comp. Alcibiad. cum Cor. 2), sed alios præterea duces secutus, Dionysii dissimilis sæpius est, quam qui maxime. De Veturia matre et Volumnia uxore C. quum ceteri omnes (Dionys., Liv., Valer. M., Appian., Dio C., Aurel. V., Zonar.) inter se consentiant, unus Plutarchus discrepat, qui pro Veturia Volumniam, pro Volumnia Virgiliam ponit. Dio Cass. (frg. Maii p. 148 Coll. Vatican.) parum cum Dionys. et Appian. similitudinis ha-

bet; Coriolanum aut invidia oppressum aut senio confectum perisse tradit. Zonar. (VII, 16), qui Dionem sequitur, de sola senectute mentionem fecit. Cfr. præterea Tzetzes, Chiliad. VI, Reimar. II, p. 1526). In orationibus denique nulli, nisi Dionys. et Appian., inter se similes.

VI. Suidas — *ΕΛΕΕΙΝΟΣ* et *ΑΠΟΦΡΑΔΕΣ*
ΗΜΕΡΑΙ.

Cædes Fabiorum apud Appianum antea commemorata fuit. Quod ad hujus fragmenti argumentum attinet, Dionysii l. IX, c. 23 et quæ præcedunt, in usum convertit. Diem autem Cremerensem Appianus ἀποφράδα modo, Dionysius μέλαιναν τε καὶ ἀποφράδα significat. Livius (II, 50) de hac re tacet. Quod vero Dionysius utrumque verbum conjungit, cfr. Gell. N. A. V, 17, ubi de atrorum et nefastorum dierum permutatione agitur, quæ in Græcas quoque significationes valet. Ceterum de his diebus cfr. Plutarch. Camill. c. 19 et Tacit. H. II, 91.

VII. Suidas — *ΕΘΕΛΟΚΑΚΩΣ.*

De Appio Claudio Sab. Reg., bellum a. u. c. 283 cum Volscis gerente, deque militibus ejus seditiosis h. l. mentio est. — Rursus insigne documentum nobis offertur, qua compilandi ratione Appianus usus sit, qui verba sententiasque, quæ Dionysius alio loco in simili re adhibuit, illinc hac traductas suæ narrationi inseruerit. Ex iis enim, quæ apud Dionys. IX, 50 (a. u. c. 283) de militibus Appii imperium recusantibus leguntur: ἡ δύναμις — μίσει τῷ τρὸς αὐτὸν (cfr. ibid. c. 48) — ἐθελοκακοῦσα — οὐκ ἠξίωσε τ. πολεμίοις εἰς χεῖρας ἵεναι — ἔφευγον (τῇ δὲ κατόπιν ἡμέρᾳ): ἀπειθεία διεχρῶντο — κατεδήσαντο — τοὺς χρωῖτας, ὡς τραυματῖαι — ex his,

inquam, Appianus sententias suas priores composuit, verbis modo nonnihil variatis; posteriores vero ex iis sumpsit, quæ Dionys. IX, 3 (a. u. c. 273) de K. Fabii cos. militibus seditiosis narravit: τὸν ἡγεμόνα — ἐλοιδόρουν — δι' ἀπειρίαν τοῦ στρατηγεῖν — τὰς τε σκηναὺς ἔλνον κ. τ. λ. Cum Livio (II, 59) nihil h. l. Appianus commune habet.

III.

Hactenus excerpta et fragmenta Appiani cum integris Dionysii libris comparare licuit; jam vero nihil nisi particulæ operis hujus supersunt, quæ X p. C. seculo Imperatoris Constantini Porphyrogenneti jussu, sicut ex aliorum scriptorum operibus, sic etiam e Dionysii libris sunt excerptæ; quibus fragmenta accedunt a Maio reperta, a MCCCXVII edita. Hinc aliqua difficultas oritur, quoniam reliquiæ illæ admodum concisæ sæpe sunt, res primæ, mediæ, extremæ haud raro prætermisæ, mutationes hic illie factæ, excerptorum dispositio rerumque ordo interdum aliquatenus perturbata, quin res sæpius farraginis instar congestæ (v. XVI, 4—8), loci denique et verba singula nonnunquam a librario corrupta. Quæ quum ita sint, reliquiis tamen utriusque scriptoris inter se accurate collatis, non erit dubium, quin Appianus in iis quoque rebus, quæ deinceps sequuntur, si non omnia ille quidem, at certe plurima e Dionysii libris hauserit. Animus erat de his rebus plura enarrare, sed angusto hujus programmatis spatio impeditus, nisi quæ præcipui momenti erunt, extrema commentatione non exponam.

Lib. Italic. VIII Excerptum Peirescianum.

Quæ h. e. leguntur, ad prædam Veientanam, diem propter eam Camillo dictam exiliumque ejus pertinent. Scriptores vero in singulis rebus inter se plus minusve similes sunt. Livius in rebus Camilli nunc eosdem cum Dionysio fontes videtur adisse, nunc prorsus diversos. Plutarchus partim Livium sequitur, in cujus verbis interpretandis vel incuriam vel ignorantiam linguæ Latinæ prodit (efr. Plut. Camil. c. 6, Liv. V, 22, de Junone Vecintana), partim ut in aliis rebus, sic in his etiam Dionysium consuluit (efr. c. 2 Οὐγγύσαντος), partim alios duces

habuit (Claudium fortasse v. c. 40 pugn. ad Anien.). Eo factum est, ut Appiano, Dionysii compilatori, hic illic aliqua cum Livio aut Plutarcho similitudo primo aspectu intercedere videatur. Appianum autem Dionysii vestigiis ingressum esse, et ex hoc excerpto et altero infr. (Gall. V.) plane intelligitur. Caput I, quum Dionysius nihil ad comparandum præbeat, silentio prætermitemus. C. 2. Quæ hic Appianus plura habet, ea apud Dionysium excerptoris culpa desiderantur (D. XIII, 5, 6). Quum ceteri scriptores in eo omnes consentiant, ut et Camillum XV milibus multari (Liv. V, 32, Valer. Max. V, 3, 2, Plutarch. C. 13, Zonar. VII, 22) et eum absentem damnari faciant, Appianus cum Dionysio et cum a populo damnatum et pecuniæ summam, in myriades auctam, jam ante, quam in exilium abisset, ne qua corpus ejus contumelia afficeretur, a propinquis erogatam esse produnt. In numeris prioribus (A. 50, *v'*, D. 10 *l'*), quos ceteroquin corruptos puto, discrepantia invenitur; sed, id quod caput rei est, nomine *μυριάσι* uterque utitur. Cetera, quæ apud Appianum leguntur, de accusatore quodam (v. Liv. V, 32, Plutarch. C. 12), de crimine oblato (de quo scriptorum alius aliter), de populo indignabundo (Plut. 11, 12), de filii morte (Liv. V, 22, Plut. 11), de precibus Achilleis (Plut. 13), hæc omnia, quum Dionysii locus (XIII, 5) defectu et corruptela laboret (vid. de tribunis), nihil certe discrepantiæ probant. Quin ipso altero loco (XIII, 6), ubi preces Camilli commemorantur, et crimina ei illata et a populo eum damnatum esse, claris verbis indicatur. Quod vero de Achille, sicut Plutarchus, ita Appianus mentionem fecit, ne illud quidem a Dionysio prætermisum esse dixerim, post enim finitas preces alterum Dionysii locum abruptum videas.

Lib. Samnitic. IV. Excerptum III de Legationibus.

Ex Dionysii libri XV fragmentis et hoc Appiani excerpto apparet, Livium in bello Samnitico et in iis, quæ antecesserunt, exponendis parum accuratum fuisse; namque de Fregella et Luceria, in quibus caput rei versatur, omnia mire perturbavit et de bello Apulo obscurius loquitur. Sed de his rebus non hic locus dicendi est. Gladem autem Caudinam atque ea, quæ præcedunt, paucis attingam. Quæ de his ab Appiano narrantur, ea Ursinus putat ab Livio esse sumpta aut saltem ex eodem, quo Livius usus esset, fonte hausta. Dissentire tamen paululum

